This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Michael de Sagrabia, dedit 2 cr.
Stephanus de Veteri Solio, dedit 2 cr.
Michael Syrmall de Iglavia [1]), dedit 2 cr.
Mathias Provisoris de Sexovia [2]), dedit 2 cr.
Johannes Chortzunatsh de Pesth, dedit 2 cr.
Michael Chern de Tribovia, dedit 6 den.
Stephanus Augustin de Monte Petri, dedit 1 cr.
Johannes Vyhemi de Backmonostra, dedit 2 cr.
Wenczeslaus Wasscho Olomutzensis, dedit 2 cr.
Stephanus Mennick de Ailesczs, dedit 2 cr.

1511 II Anno Domini 1511, procurante Mag. Leonardo Dobrohost de Gemnitz, subscripti sunt intitulati scolastici:
Georgius Frech de Brunna, dedit 2 cr.
Johannes Khinigsperger filius Frantz Brunensis, 10 den.

1512 I Sub procuracia Mag. Jacobi Transsilvani infrascripti scolares sunt intitulati, anno Domini Millesimo quingentesimo duodecimo:
Stephanus Aurifabri de Corona [3]), dedit 3 cr.
Martinus Kerczer Cibiniensis, dedit 2 cr.
Georgius Waiwoda Scholtnensis [4]), dedit 2 cr.
Matheus Seremiensis de Camancz [5]), dedit 6 cr.
Gregorius Seremiensis de Sant Marton, dedit 6 cr.
Johannes Transsilvanensis de Torda, dedit 4 cr.
Johannes de Novo Solio [6]), dedit 2 cr.
Valentinus Pewrler ex Iglavia, dedit 2 cr.
Paulus Saladiensis de Egerseg, dedit 9 den.
Andreas Schon de Corona [7]), dedit 9 den.

---

[1]) V. ö. a főanyak. 1511 I: *Michael Schmal de Yglavia.*

[2]) V. ö. a főanyak. 1511 I: *Mathias Provisoris de Fixovia;* artisták anyakönyve 1511 I; *Matheus Provisoris de Sexovia.*

[3]) Bacc. 1514 II, 86. l.

[4]) V. ö. a főanyak. 1511 I: *Georgius Veifada de Transsilvania.*

[5]) V. ö. a főanyak. 1511 II: *Mathias Horbath [de] Camancz.* Már föntebb 85. l. 1512 I a baccalariusok közé volt bejegyezve, de a procurator még idején észrevette a tévedést s ott őt kihúzván, ide igtatá be.

[6]) Tán azonos *Mag. Johannes Schnell ex Neusohl*-sal 1516 I, 52. l. — Artisták anyakönyve 1512 I: *Joannes Hieronimi ex Neusolio.*

[7]) V. ö. a főanyak. 1512 I: *Andreas de Proschovia.*

Educ 4895.9

HARVARD COLLEGE
LIBRARY

FROM THE FUND OF

CHARLES MINOT

CLASS OF 1828

144/3105

CHRONOLOGIA DIPLOMATICA

CELEBERRIMÆ, ET ANTIQUISSIMÆ UNIVERSITATIS VINDOBONENSIS

AB ANNO

MCCXXXVII.

AD ANNUM

MCCCLXXXIV.

QUAM

REVERENDISSIMIS, ILLUSTRISSIMIS, PERILLUSTRIBUS, AMPLISSIMIS, MAGNIFICIS, ADMODUM REVERENDIS, PRÆNOBILIBUS, STRENUIS, CONSULTISSIMIS, EXCELLENTISSIMIS ATQUE CLARISSIMIS DOMINIS, AC PATRIBUS EJUSDEM ANTIQUISSIMÆ, AC CELEBERRIMÆ UNIVERSITATIS MEMBRIS.

D. D. D.

JOSEPHUS JOANNES SCHLIKENRIEDER, PEDELLUS JURATUS.

Typis Joan. Thomæ Trattner, Cæſ. Re. Aulæ Bibliop. & Univ. Typogr. MDCCLIII.

Educ 4895.9

Harvard College Library
July [illegible], 1920
Minot Fund

220-45
40

REVERENDISSIMI, ILLUSTRISSIMI, PERILLUSTRES, AMPLISSIMI, MAGNIFICI, ADMODUM REVERENDI, PRÆNOBILES, STRENUI, CONSULTISSIMI, EXCELLENTISSIMI, ATQUE CLARISSIMI,

DOMINI, AC PATRES

ANTIQUISSIMÆ, ET CELEBERRIMÆ UNIVERSITATIS VINDOBONENSIS.

QUæ lucem publicam vident antiquiſſimæ hujus & per Germaniam clariſſimæ Univerſitatis prærogativæ, non alio pote-

rant, atque Veſtro Nomine gloriari. Ii cum ſitis, qui florentem hanc ſcientiarum ſedem, aut ſapientiſſimo temperatis imperio, aut inſigni tum virtutum, tum doctrinæ ſplendore illuſtratis. Neque operæ pretium me non facturum formido, quando turpe eſt ea ignorari a Filiis, quæ Matrem Sorbonæ parem, reliquis omnibus bonarum artium palæſtris ſuperiorem effecerunt. Quod ſi enim privilegia a ſummis Principibus indulta, ſi temporis diuturnitatem in glo-

gloriæ partem vocemus, quantus Vobis ſplendor, & amplitudo accedit! Et ſane a virtute aliena non eſt pervulgata multorum opinio, prima Palæſtræ hujus a Friderico II. Cæſare feliciter jacta initia, ſcientiasque nonnullas jam anno ſupra milleſimum ducenteſimo trigeſimo ſeptimo in urbem hanc principem invectas, celeberrimamque hanc Academiam ab Alberto III. auctam, ornatamque, Maximiliani II. denique Ro-

manorum Imperatoris auguſta munificentia ad tantum ſplendorem fuiſſe perductam. Quam inſignia ſubinde a conſummatæ ſapientiæ, virtutisque luce ornamenta acceſſerint, aliaque plura, etſi maxima prætervehor, dum amplitudinem Ejus res pro regno æque, & religione ſingulari fortitudine juxta ac felicitate geſtæ, tot legationes honorificæ, ampliſſimaque ſummorum Pontificum, Conciliorum, & Principum teſtimonia abunde oculis Veſtris objiciunt.

Ne-

Neceſſe non eſt Ipſam appellare Auſtriam, quæ vix naſcentem hanc ſcientiarum ſedem toties ad eruditorum laborum communionem, extinguendam hæreticæ pravitatis luem, ſopienda Principum odia, Eccleſiæque pacandæ gloriam invitatam ſuſpexit, eosque ſemper vidit Poſteros, quorum ſtudia tam feliciter accendit deceſſorum virtus, ut quadringentis prope annis nunquam non viris omni eruditione conſpicuis gloriaretur, peregrinis erroribus intre-

pide

pide occurreret, legum controverſias ſapientia ſumma evolveret, morborum vim aut præveniret, aut frangeret, naturæ arcana exquiſita induſtria rimaretur. Quam præclaram Majorum Veſtrorum gloriam, dum & Vos amplificatis Poſteri, Ipſa Auguſta Noſtra, ac amantiſſima ſcientiarum Mater eo partem curarum Suarum maximam convertit, ut Alberti in ornanda hac Univerſitate exæquaret, quin & ſuperaret induſtriam, formamque induceret illuſtriorem. Et ve-

vero, quid non agit Auguſta Hæc Domina, ut celeberrimam Hanc ſcientiarum ſedem utrique reipublicæ quam maxime utilem orbi univerſo reddat conſpicuam? qua benevolentia litteratos complectitur, quantis dignitatibus cumulat, quantos ſumptus profundit ad commoditatem non modo ſtudentium, ſed ſtudiorum etiam majeſtatem? Verum muta veneratione proſequar hæc potius, cum, verba ut deficiant, neceſſe ſit, & par enarrandis tot lucu-

lentis benevolentiæ ſignis laudator inveniri non poſſit. Quantum enim vel iſtud eſt argumentum ad demonſtrandum ſolicitum, & Maternum plane Auguſtæ animum, dum ut ne ſummam in ornanda hac litteratorum palæſtra diligentiam effugeret aliquid, in ſolicitudinis Suæ partem Eum vocavit, in cujus delectu an ſingulare Illius in bonas artes ſtudium, an felicitatem magis demirer, ignoro. Ejus enim tutelæ hanc ſcientiarum ſedem concredidit,

Cu-

Cujus ſingularem ſapientiam ſtupebat pridem Germania, ſuſpiciebat Roma, litteratorum cœtus demirabatur, omni nempe ita imbutum ſcientiarum genere, ut quod Illum latet, videri ignotum omnibus poſſit. Tanti nimirum fuit Litteraria hæc respublica, ut Is Illi daretur Protector, qui ſummus eruditorum, & fautor eſſet, & exemplum, ne parum pro amore in litteras, parum pro dignitate Sua egiſſe videretur Auguſta, niſi in Eum curarum partem transferret, ad

 cu-

cujus ſapientiam, quo propius quis acceſſerit, eo ſe patriæ utiliorem fore arbitretur. Intelligitis igitur, quanto jure Chronologia hæc Diplomatica Nomini Veſtro debeatur, quorum ſapientiſſimis legibus hæc gubernatur Palæſtra, dirimuntur lites, ſcientiæ novum induunt ſplendorem. Modeſtiæ Veſtræ iniquus forem, ſi ad alia domeſtica Vobis ornamenta deſcenderem. Adferendi enim eſſent ſummi, quibus in ſacra æque, ac profana republica fulge-

getis, honorum gradus Veſtra virtute conſcenſi, Nominis celebritas, doctrina eximia, res tam præclare geſtæ, ſingularis in DEUM, & Superos pietas, tanta profecto decora, quæ non Urbi modo noſtræ, verum exteris etiam regionibus Vos reddiderunt conſpicuos. Verum quia quantum ſatagitis laudibus digna agere, tantum, ut modeſtæ ſapientiæ mos eſt, laudes ipſas audire refugitis, in doctrinæ, & virtutum Veſtrarum admiratione defixus obmu-

teſco, id unum impenſe flagitans, ut operam hanc meam benevolentia Veſtra dignam cenſeatis, & gratia, ac patrocinio Veſtro protegatis.

Servorum infimum
JOS. JOAN. SCHLIKENRIEDER.
Pedellum Juratum.

AD LECTOREM.

INſtituti mei rationem paucis accipe: Videbam tuis uſibus ereptos dudum, & in Bibliothecis reconditos eſſe libros illos, qui antiquiſſimæ, & celeberrimæ Univerſitatis jura, prærogativasque continerent. Quare operam non ingratam me præſtiturum cenſebam, ſi denuo typis committerem, iisque inſcriberem, quibus potiſſimum Palæſtræ Hujus ſplendor & conſervatus, & auctus debetur. Chronologiæ porro nomen impoſui, cum, eam arridere ſi ſenſero, ad hæc uſque tempora me continuaturum, atque Diplomatum, Bullarum, rerum, & Verborum indicem me adjuncturum promittam, quem in finem ſingula eum digeſſi in ordinem, ut temporis ſimul ratio haberetur. Cæte-

rum

rum dum leges nonnulla, quæ aut conſvetudine, aut ipſis temporum viciſſitudinibus abolita deprehendes, non deerunt tamen alia, quæ avidam ſciendi mentem delectent; Lex ſiquidem tempori ſervit, & ceſſante ratione legis, ceſſat & ipſa lex. Certus eſto præterea, Bullas, & Diplomata omnia, Friderici II. Alberti I. & Generalia Univerſitatis ſtatuta ſi demas, ſumma accuratione ex archetypo ipſo ita excerpta eſſe, ut ſcribendi ſimul, ac loquendi modus obſervaretur. His A. R. P. Antonii Steyrer e Soc. JESU, & eruditiſſimi Viri Petri Lambecii commentarios adjeci, tum ut dilucidarentur obſcuriora quædam, tum variæ de Univerſitatis Hujus antiquitate ſententiæ in memoriam revocarentur. Utere proinde, ſique operam meam probaveris, votum meum impleſti. Vale.

DI-

DIPLOMA

FRIDERICI II. Imp. dd° menſis Aprilis 1237. quo civitatem Viennenſem variis prærogativis & immunitatibus condecoravit, facultatemque dedit Magiſtro Scholarum ad S. Stephanum ſubſtituendi alios Doctores (vel potius Ludi Magiſtros) cum Conſilio civitatis,

FRIDERICUS DEI gratia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus Hieruſalem & Sicilie Rex Romanum Imperium ad tuitionem fidei & diverſarum gentium moderamina, per eum, qui cœleſtia ſimul & terreſtria moderatur, filium ſummi Regis, qui condidit Regna, & firmat Imperia, ſummæ diſpenſationis munere conſtitu-

tum, ex diſpenſatione divina robur & regimen ſuæ dignitatis accipit ut ſubjectos ſibi populos in opulentia pacis & favore juſtitiæ foveat, fidem provehat, perfidiam perſequatur, humiles protegat, ſublimes humiliet, oppreſſiones relevet ſubditorum, ab improbis & ingratis Dominis, quos exceſſuum commiſſorum enormitas indignos imperio repreſentat, materiam bonorum ſubtrahat? & noverit propterea præſens ætas & futura poſteritas, quod Nos attendentes, quam feliciter & devote Cives WIENNENSES fideles noſtri univerſi & ſinguli, magni & parvi, noſtrum & Imperii Dominium ſunt amplexi, jugum oppreſſionis & injuſtitiæ declinando. Conſiderantes inſuper qualiter iidem Cives WIENNENSES devotione promptiſſima & fide ſincera ſe Nobis & Imperio indiſſolubiliter alligarunt: & quod noſtra intereſt, commiſſum Nobis populum, utpote qui pro ejus ſalute, ac de commiſſa nobis Reipublicæ cura & univerſitatis regimine generali tenemur Summo Regi reddere rationem, potentis dextræ ſubſidio relevare, dictam Civitatem & Cives in Noſtram & Imperii perpetuo recipimus ditionem, ut amodo in noſtris Regum & Imperatorum Succeſſorum noſtrorum manibus teneantur. Et quod nunquam per conceſſionem alicujus beneficii de noſtra & Imperii tranſeant poteſtate, quin potius ſpeciali noſtro & Imperii munimine in munificentiæ noſtræ privilegiis, libertatum & bonarum approbatione conſuetudinum, quaſi perfidiæ, eorum pignore veluti in noſtrorum propugnaculis muniantur. Statuimus igitur, & præſentis Privilegii authoritate ſancimus, ut annuo in eadem Civitate Judex ſingulis annis per nos & Reges & Imperatores Succeſſores no-

noſtros, communicato ad hoc, ſi neceſſe fuerit, civium conſilio ſtatui debeat, qui pro honore & fidelitate noſtra ſufficiens & idoneus videatur, ad idem officium exercendum, præſenti prohibentes edicto, quatenus Judex nullus a Nobis, vel a Rege, ſeu ab aliquo Succeſſorum noſtrorum pro tempore conſtitutus, noſtra vel alicujusSucceſſoris noſtri, vel ſua præſumat authoritate ſteuram taliamque ſeu precariam in prædictosCives facere, nec eos impetere ſive cogere ad aliquid, ſeu Nobis ſeu noſtris Succeſſoribus exhibendum, niſi quod & quantum dare voluerint de ſpontanea voluntate. Præterea ex abundantia gratiæ indulgemus, ut nemini liceat prænotatos cives ad aliquod ſervitium pro ultra progredi prohibere quin eo die, quo clara luce de domibus ſuis exierint, cum ſplendore ſolis regredi permittantur. Adhæc Catholici Principis partes fideliter exſequentes, ab officiorum præfectura Judæos excipimus, ne ſub prætextu Præfecturæ opprimant Chriſtianos, cum Imperialis auctoritas a priſcis temporibus, ad perpetuam Judaici ſceleris ultionem, eisdem Judæis induxerit perpetuam ſervitutem. Declaramus inſuper, & obſervare cenſemus, ut, ſi quando contra quemque civium civilis vel criminalis actio intentetur, ſecundum viam & approbatas conſuetudines civitatis ejuſdem a civibus judicetur, læſæ Majeſtatis crimine vel prodendæ civitatis exceſſu, cum extat, exceptis. In quorum animadverſione, velut deteſtabilium criminum, licite cives & exteros mandamus admitti. De duello vero, ſi quis civis impetitur, ſi ſeptima manu honeſtarum perſonarum expurgare ſe poterit, eum ab impetitione duelli decernimus abſolutum.

Volentes & commodo Studio provideri, per quod prudentia docetur in populis, & rudis ætas inſtruitur parvorum, poteſtatem damus plenariam Magiſtro, qui Wiennæ per nos & Succeſſores noſtros ad Scholarum regimen adſumetur, ut alios, Doctores in facultatibus ſubſtituat, de Conſilio virorum prudentium Civitatis ejuſdem, qui habeantur ſufficientes, & idonei circa ſuorum ſtudium auditorum. Cæterum ut ſub Auguſtalis felicitate Dominii continuum eadem recipiat noſtra civitas incrementum, ſtatuimus, ut omnes incolæ & advenæ ibidem habitare volentes, in Noſtra & Imperii donatione ſub tuta & libera ab omni ſervili conditione liberi vitam agant; qui videlicet annum & diem ſine alicujus impetitione ſe pro civibus tenuerint, ſecundum jura & approbatas conſuetudines civitatis. Deſtinata quoque Clementia Sedis noſtræ, quæ pacem & Juſtitiam comitatur in Principe, decernimus & mandamus, ut, quandocunque aliquis Wiennensium civium naufragium incurrerit, res ſuas, quas ab impetu torrentis manus hominis aſportavit, libere poſſit repetere & habere a quolibet detentore, cum indignum penitus cenſeamus miſericorditer reliquias naufragii detineri per hominem quibus rapacis fluminis ſæviens unda pepercit. Statuimus itaque, & præſentis auctoritate Privilegii prohibemus, quatenus nullus dux, Marchio, Comes, Aduocatus, Scultetus, vel aliqua Perſona Eccleſiaſtica, vel mundana humilis vel ſublimis, contra præſcriptæ gratiæ & conceſſionis noſtræ tenorem venire præſumat. Quod qui præſumpſerit, in vindictam temeritatis ſuæ centum libras auri ſe compoſiturum agnoſcat; medietatem videlicet Cameræ noſtræ, reliquum

paſſis

paſſis injuriam perſolvendum. Ad quorum omnium prædictorum memoriam, & robur perpetuo valiturum, præſens Privilegium fieri fecimus, & Bulla aurea typario Majeſtatis noſtræ impreſſa juſſimus inſigniri. Teſtes hujus rei ſunt, venerabilis Sifridus Moguntinus, & alii multi nobiles fide digni. Acta ſunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis MCCXXXVII, menſe Aprili, decima indictione, imperante Domino noſtro Friderico ſecundo, DEI gratia, glorioſiſſimo Romanorum Imperatore ſemper Auguſto.

DIPLOMA

ALBERTI I. Ducis Auſtriæ, datum die Dominica Invocavit anno 1396. quo Civitati Viennenſi impertitur facultatem conſtituendi Rectorem, ſeu Magiſtrum Scholarum ad S. Stephanum, quem ante Principes ipſi nominarunt.

Wür ALBRECHT von GOttes Gnaden Herzog ze Oeſtereich, und ze Steyr, Herr ze Crain, der March, und zuo Portenau &c. allen denen die in leben und hernach künfftig ſind ewiglich.

Wan die gemaine unſer lieben Getreuen reicher und armer der Burger ze Wien mit reehten treuen und mit ganzer Stöttigkeit ihr Herrſchaft &c. *ac dein post pauca:* Seit das von alter Gewonheit der Fürſten in Oeſtereich alſo herkommen iſt, das wier die Schuel ze Wien verleihen ſolten: doch wöllen wier und beſtetten das veſtiklichen zuo einer ſonderlichen Gnad der Burger und dem Rath von der Stat, die Schuel ze Wien fürbas ewiglich ze verleihen; wan ſie allen Nuz, und alle Ehre in der Statt ſchaffen ſollen, ſo ſollen ſie auch ihren Kindern einen Schuelmaiſter ſchaffen, des ſie Nuz, und Ehre haben an Kunſt und an Ehren, ſo ſie an allerbeſten findten und gehaben mögen, als ſie umb ihrer Freund künftige Lehrunge GOtt antworten ſollen, ob von der Saumbunge ihr einer müeſsrieth; wür wollen auch die Lehrung der lernten gemeiniglich beruehen, davon die Weisheit gekündet wird der Chriſtenheit, und das ungelert Alter von Kindheit wird geweiſet, und gelehret. So

So geben wir vollen Gewalt dem Schuelmaiſter des Sant Stephan der Pharrkürchen, der von dem Rath der Statt da wird geſezet zuo Schuelmaiſter an der Schuel, under ſich ze ſtifften in der Statt, und doch das ſie ehrlich und gewöhnlich ſein, alle die Schuele die in der Statt ſeind, die ſollen den ſelben Maiſter unterthenig ſein mit Zins, und mit Zucht künfftlicher Bewahrung. Wer darwider ein Schuel zu ſeiner Kirchen, oder in ſeinen Haus hat, wider des Maiſters Willen, und der Burger, das ſollen die Burger wenden mit allen Sachen. Wer darüber freventlich thette, den wollen wür püeſſen an Leib und auch an Gueth. Derſelbe Schuelmaiſter von Sant Stephan ſoll richten von ſeinen Schuelern, alles das unter ihm geſchicht, als das da geht an dem Todt und an die Lem. Kindlich Khünhelt iebt offt unzimblich Bosheit. Doch ſo wachſente Wize mit den Jahren, davon wollen wir, ob ein Schueler der unter dem böſen iſt, ſeinen Feundten, bey dem er iſt heimblich icht entfernet ſeines Guet, oder ein Schueler dem ander, da ſoll der Maiſter richten mit ſtarken böſen Schlagen. Wer aber die gethatt ſo groſs, das ſich der Maiſter des Schueler euſſer, ſo man ihm dan begriffe, das ſol man gen ihm richten als dan recht iſt. Welcher Schueler ungefert, und ungevolgig dem Schuelmaiſter wolte ſein, der ſoll die Statt raumben, oder er werd ein Leye. Wer ihm darüber behalt, der ſoll dem Richter geben 2. Pfund, und an die Statt 2. Pfund. Als aber in freventlichen, und wiſſentlich behaltet trey tag wider den Maiſter und der Burger. Trägt ein Schueler Schwert oder Meſſer, den ſoll der Schuelmaiſter darum beſſern; wolt er der Beſſerung nicht für

guet

guet haben, ſoll ihm der Schuelmaiſter dem Richter antworten, der ſoll ihm dann püeſſen nach Rath. Welcher Schueler dan ſpilt in der Tabern, der ſoll nicht mehr mögen verlieren, dan er braiter Pfening bei ihm hab, ſein gewant, ſeine bücher, oder ander ſein Pfant ſoll ihm niemant nemben. Damit wollen wier wöhren, das niemant mit ihm ſpiel, und ihrer Lehrung deſto fleiſſiger warten. Wer ihr Pfand darüber nimbt, den ſoll der Richter püeſſen, alſo das er ihm gebe zwei Pfund, und an die Statt zwei Pfund. Alle die in die Statt kommen, und Burger darinn werden &c. *Claudit tandem hoc diploma ſequentibus verbis:* Diſer Brieff iſt gegeben ze Wienn mit Maiſter Otten Handt von Metlich unſers Obriſten Schreiber, da von Xſtus Geburt warn tauſend Jahr zwei hundert Jahr in den ſechs und neunzigſten Jahr, an den erſten Sontag in der Faſten, als man ſingt das Ambt *Invocavit.*

DIPLOMA

Alberti Epiſcopi Patav. & Ordinarii dd. 7. Martii 1365. quo in erectionem Univerſitatis conſentit.

Nos ALBERTUS Dei, & Apoſtolice Sedis gracia Epiſcopus Eccleſiæ Patavienſis, ad univerſorum, quorum intereſt, vel intererit quomodolibet noticiam deducimus per preſentes. Quod nos profectui reipublice preſertim in hys; quæ augmentum diſcipline ſcholaſtice, & eruditionem fidelium reſpiciunt, intenti ſtudioſius, ut tenemur ex debito officii paſtoralis, deliberacione matura previa, cum pluribus viris prudentibus, & peritis noſtris, & Eccleſie noſtre fidelibus, noſtrum conſenſum expreſſum, ac benivolum ex certa ſciencia adhibuimus, & adhibemus preſentibus pro nobis, & noſtris ſucceſſoribus univerſis. Quod privilegiatum, & generale Studium in villa Wiennenſi noſtre dioceſis erigatur. Quodque eciam omnia & ſingula jura, privilegia, immunitates & libertates univerſitati ejusdem ſtudii conceſſe, & indulte, per illuſtres principes, Dominos Rudolfum, Albertum, & Leupoldum, Duces Auſtriæ, Styrie, Karinthie & Carniole, Comites Tyrolenſes &c. in ſuo vigore maneant perpetuo, ac Execucioni mandentur debite, juxta continenciam litterarum deſuper editarum de quarum tenore & ſerie ſumus plene, & ſpecifice informati. Et in hujus rei teſtimenium evidens ſigillum noſtrum pendi mandavimus ad preſentes Datum & actum apud Sanctum Ypolitum indictione tercia, VII. die menſis Marcii Anno Domini Milleſimo CCCLX quinto.

DIPLOMA

Rudolphi quarti Archiducis Auſtriæ Erectionem Univerſitatis Wiennenſis concernens dd. 12. Mart. 1365.

IN NOMINE SANCTE ET INDIVIDUE TRINITATIS AMEN. Rudolffus quartus, Albertus, & Leupoldus, Fratres vterini, Dei gracia Archiduces Auſtrie, Styrie, Karinthie, & Carniole, Domini Marchie Sclauonice, ac Portus-naonis, Comites in Habſpurg, Tyrolis, Ferretis, & in Kyburg, Marchiones Burgouie, & Landgrafy Alſacie, omnibus Chriſti fidelibus; preſencium auditoribus, ſeu Lectoribus, nunc & temporibus in futuris, Salutem in Domino cum noticia ſubſcriptorum. Omnipotentis Dei clemencia que de ſue Diuine Majeſtatis throno & celſitudine nos a cunctis noſtris prioribus in hec tempora naturali propagine & antiquo ſtipite principatus decoravit tytulo, & committendo nobis ſue gentis multitudinem & terre latitudinem non modicas nos eciam uoluit principari, pro quo tenemur ex debito, ſibi graciarum acciones multiplices, & genti nobis commiſſe, ad defenſionem Judicy equitatem, fauores, beniuolencias, ac ad cetera pietatum opera obligamur. Nos pronos reddit & beniuolos, ac interno quodam inſtinctu exigit ea ordinare, ſtatuere, & diſponere in ſubjectis nobis terris, & gentibus, per que Creatoris noſtri clemencia laudetur in celis, & eius orthodoxa fides dilatetur, erudiantur ſimplices, equitas ſervetur

vetur judicij, humanus illuſtretur intellectus, augeatur racio, creſcat reſpublica, & ad Sancti Spiritus illuſtrationem corda diſponantur hominum. Quod propulſis ignorancie tenebris & errorum deviis ad divinam ſapienciam, que malivolam non ingreditur animam, aptati, de theſauris ſuis nova producant, & vetera, & fructificent multipliciter ſuper terra. Hinc eſt quod nos tanquam donatorum bonorum grati receptores, volentes quoque pretactis pronitati, & inſtinctui ſatis facere ſaltem aliquantulum ad Dei laudem & gloriam, utilitatem & profectum humani generis, ob ſalutem animarum noſtre prioritatis inclite ac noſtrarum, nec non ob augmentum Reipublice, & ob ſpecialem prerogativam, & dignitatem ducatus Auſtrie, & ville noſtre Wiennenſis, matura deliberacione, & diligenti conſilio previis, adhibitis eciam ſolemnitatibus, verborum, operum, & geſtuum conſuetis & debitis, ad hoc oportunis & neceſſariis pro exigencia libertatum, Jurium & conſuetudinum noſtrorum Ducatuum, & ſpecialiter nobis, & predigne Terre Auſtrie, quibus juxta continenciam privilegiorum, & litterarum noſtrarum a Divis Romanis Imperatoribus & Regibus ſumus privilegiati, dignificati, & in Principes ſublimati, de gracia, conceſſione & indulto ſpecialibus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri Domini Urbani quinti ſacroſancte Romane ac Univerſalis Eccleſie ſummi Pontificis noſtro, ac noſtrorum heredum & poſterorum omnium in perpetuum nomine dotauimus & erreximus rite & legitime & de certa ſciencia dotamus, & erigimus publicas, & privilegiatas ſcolas, & ſtudium generale in dicta Villa noſtra Wiennenſi,

 quam

quam ob incolarum ſuorum fidem puram, devocionem ſinceram, & probitatem eximiam ſingulari favore proſequimur, In cuius eciam ville parochiali Eccleſia Sancti Stephani, in breui temporis ſpacio Deo Auſpice in Prepoſituram ſeu collegiatam Eccleſiam ſub honore Sanctorum omnium redigendam, ſepulturam noſtram elegimus, ibi aduentum juſti Judicis expectaturi. Ita videlicet quod in dicta Villa Wiennenſi ex nunc inantea perpetuo juxta ordinaciones & conſuetudines obſeruatas & habitas retroactis temporibus. Primo ſcilicet Athenis ciuitate precipua Grecie, deinde Rome, que caput eſt orbis, & poſt hec Pariſiis, Regni Francie ciuitate principali ſcole publice, ac generale & priuilegiatum ſtudium obſerventur, Ibique legantur, doceantur, & diſcantur Diuina ſciencia, quam Theoloycam vocamus, artes & ſciencie naturales, morales, & liberales, Jura Canonica, & ciuilia, Medicina, & alie facultates, & ſciencie licite & permiſſe. Ceterum quia anima quieſcendo ſciens, & prudens efficitur, nec paſſionata ſcienciam poſſidebit, tum pro Magiſtrorum ſtudio & lectura peragenda tum eciam pro ſtudencium & ſcolarium dicti ſtudij tam de remotis quam de vicinis partibus adveniencium, profectu, & augmento diſcipline ſcolaſtice, qui Diuino aſpirante lumine continuitate ſtudii, de bono in melius, de meliori in optimum, de virtute in virtutem, ad ſublimia ſcienciarum & virtutum cuncto tempore debent & poſſunt provehi. Reputamus ſumme neceſſarium dicti ſtudij Uniuerſitatem ac docencium & diſcencium collegium ſpecialibus defenſionibus & comodis indigere, & precipue quod communium, & vulgarium hominum habitacione ſemoti, in loco diſtincto

cto firmis ſeptis includendo actus ſcholaſticos exercere, & peragere valeant non prepediti ſtrepitu populari. Idcirco, quo ſupra nomine, eisdem ſcolis, ac priuilegiato, & generali ſtudio, & ejus nomine Uniuerſitati Magiſtrorum & ſcolarium ibidem, deputauimus, aſſignauimus, & donauimus, deputamus, aſſignamus, & donamus preſentibus pro dictis ſcolis & ſtudio, locum ſubſcriptis terminis, & finibus interclusum, quem quidem locum pro uberiori Uniuerſitatis proteccione & quietudine, Ducali noſtro pallacio proximum eſſe volumus, & annexum. Ejuſdem autem ſpecificacio, & deſcripcio cum ſuis muniminibus & aditibus ſubnotatur, videlicet totale ſpacium comprehenſum inter dictum noſtrum caſtrum ſeu palacium, & monaſterium ſcotorum dicte ville Wiennenſis cum omnibus manſionibus, domibus, curijs, viridariis, & pomeriis in eo contentis, intra quem locum monaſterium fratrum minorum ordinis Sancti Franciſci dinoſcitur eſſe ſitum. Hic locus pro ejusdem Uniuerſitatis ſecuritate & tutamine nouis muris, & portis munietur, & vallabitur in hunc modum, quod a muro dicti clauſtri Fratrum minorum annexo porte porrecte verſus dictum noſtrum palacium, & murus ac menia dicte ville Wiennenſis, murus altus trans ſtratam, & collem ſeu terre prominenciam uſque ad dicta menia erigatur, in cujus medio porta fiet, per quam erit introitus & exitus dicti loci, & idem locus abinde extendetur, uſque ad portam dicte ville Wiennenſis, que dicitur porta ſcotorum, ſecundum extenſionem muri Wiennenſis, & collis ſeu prominencie ante dicte, a muro quoque ville Wiennenſis jam dicte porte contiguo, trans pretactam prominenciam, &

 ſtra-

ſtratam ibidem verſus dictos fratres ducentem, erigetur ſimiliter murus altus per transverſum uſque ad aciem proximam ſitam ex oppoſito curie dictorum ſcotorum ſuper alta ſtrata per quem murum eciam neceſſaria porta fiet, & deinde ab eadem acie omnes domus, ſite ſuper dicta ſtrata alta verſus riuolum dictum Alſs, uſque ad medium ſtrate publice, & per deſcenſum eiusdem ſtrate usque ad vicum dictum Schauflugh, & per aſcenſum eiusdem vici directi per medium uſque ad muros monaſterii Fratrum minorum antedicti & uſque ad portam primam ad locum Univerſitatis prehabite pertinebunt, ita quod illi loco dictum monaſterium Fratrum minorum cum ſuo cimiterio ac ceteris pertinenciis ut predicitur includetur. Omnes eciam vici, & viculi porrecti per dictum Uniuerſitatis locum, in transuerſum ſuper prætactam ſtratam altam verſus memoratum riuolum Alſs muris integris includentur. Exceptis muris, quibus anterior vicus pincernarum & viculus, inter domos Ulrici dicti de fratribus, porrectus verſus Fratrum minorum cimiterium, obſtruentur, qui habebunt portas prout ibidem neceſſarie dinoſcentur. Verum quia parum valeret generale ſtudium erigere, & Uniuerſitatem huiusmodi Venerabilem colligere, niſi ei de excepte prerogatiue privilegiis, libertatibus, & juribus caueamus. De ſapientum & peritorum virorum maturo, & digeſto conſilio communicato ſepius de certa ſciencia, quo ſupra nomine per preſentis ſcripti ſeriem ducali auctoritate ſtatuimus, ac eciam ordinamus perpetuo irrefragabiliter obſervandum, Volentes, quod omnes noſtri, Principes, Prelati, Barones, Clerici, & Layci, Religioſi, & ſeculares, milites, armigeri, ciues, Burgenses

ac ceterti homines intra predicti loci deſcriptionem ſeu circumferenciam, domus vel curias habentes easdem in tam firmo ſerarum munimine, & tam rigido inhabitancium regimine & cuſtodia ſervent & teneant, quod dicte Univerſitatis Magiſtris & Studentibus nulla penitus realis vel verbis injuria, offenſa, ſeu moleſtia ex eisdem ſuis habitacionibus diurno tempore, valeat irrogari ſub noſtre indignacionis pena, ac earundem ſuarum habitacionum amiſſione ſeu jactura. Et hunc, qui ſic noſtram indignacionem incurrerit, punire & emendare volumus, ac debebimus, quam primum ad nos eductum fuerit per querelam, prout nobis conueniens, & equum videbitur, juxta qualitatem exceſſus, & continenciam privilegiorum, ſtatutorum, graciarum, & jurium dicte Uniuerſitati conceſſarum, dolo & fraude penitus circumſpectis. Statuimus eciam, & ordinamus quo ſupra nomine, quod ſi quis hominum cujuscunque ſtatus exſtiterit in prenotato loco ſtudii domos habeat, vel in futuro acquiſierit, quas vendere, vel pro certo cenſu locare voluerit, quod ejusdem vendicionis precium vel penſio cenſus annui eſtimari & taxari debebunt per duos ſtudentes honeſtos & duos oppidanos, oppidi ſeu ville Wiennenſis, qui ſuper eo coram Univerſitatis Rectore corporalia preſtiterint Juramenta, Quodque horum quatuor vel trium ex eisdem taxacioni concordi parendum eſt, & ſtari debet, obſtaculo & contradiccione qualibet non obſtante, ſi vero eorundem quatuor duo a duobus diſcordabunt, pro ſuperiori Rector Univerſitatis prehabite aſſumatur, & taxacio partis illius, que ipſi Rectori magis congrua, & equa viſa fuerit, ſubſiſtat firma, & absque dolo quolibet obſervetur, nec

taxa-

taxació talis cenſus annui exaltari, ſeu augeri debet ullo tempore, niſi domus eadem melioretur nouis edificiis, & impenſis, nam tunc cenſus eiusdem domus taxari debet de nouo ad dictorum quinque arbitrium, quemadmodum eſt premiſſum. Sed ſi domus aliqua pro cenſu locata annuo, ut predicitur, ob defectum tecti vel alterius impenſe neceſſarie periret, & defectum notabilem pateretur, & locator domus eiusdem defectus huiusmodi per edificia neceſſaria non interciperet, poſtquam ſibi per conductorem fuerit intimatum, tunc conductor eosdem defectus reformare debet & poterit, & ſumptus impenſe, & reformacionis huiusmodi in cenſu debito defalcare & deducere locatori. In caſu autem, quo locatori impenſe per conductorem facte ſuperuacue, & minus neceſſarie videbuntur, & eo ſibi nimis de cenſu ſuo annuo aſſerit deperire, illud ad predictorum quinque vel eorundem majoris partis arbitrium moderetur. Si quam vero domum in dicto loco ſitam taxatam pro cenſu annuo ut predicitur Clericus vel Laycus de Uniuerſitate non exiſtens prehabita, inhabitaret ſeu poſſideret quomodolibet, quam Magiſter, ſtudens, ſeu Scolaris Univerſitatis eiusdem, ad inhabitandum poſtulabit, huic eiusdem domus inhabitator ſeu poſſeſſor debet credere cenſu annuo pro rata temporis perſoluto. Premiſſis eciam adiecimus, quo ſupra nomine, ex certa ſciencia volentes, ac eciam ſtatuentes, quod ſi qui ſub Magiſtrorum vel Studencium tytulis dictum ſtudium acceſſerint docendi vel diſcendi animo, vel ab eo receſſerint, quo tales vel eorum ſervitores ſeu ſamuli in acceſſu vel receſſu huiusmodi intra metas noſtrorum Principatuum, dominiorum, terrarum, diſtrictuum, & territoriorum, quos

quas

quas & que nunc poſſidemus vel in futurum poſſidebimus plena ſecuritate rerum, & corporum debent perfrui, & gaudere. Promittentes quo ſupra nomine, quod ſi de prænotatis perſonis quiſpiam intra metas terrarum noſtre dicionis libros, aurum, argentum, Jocalia, veſtes, pecuniam, vel alterius generis res quascunque perderet, quod eidem rem perditam ſoluere ſeu refundere debemus, & volumus integraliter, omnis dilacionis, & contradiccionis diffugio poſtergato, adhibito tamen eo moderamine, & adiecto, quod iidem Clerici, Magiſtri, Studentes vel Scolares, eorum ſeruitores, famuli, vel nuncii, cum ad locum dicti ſtudii accedentes, metas terrarum noſtrarum attigerint, conductum poſtulare debent, & exigere a noſtris Principibus, Eccleſiaſticis, vel ſecularibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Proceribus Miniſterialibus, Militibus, vel ceteris Nobilibus vel ab eorundem amminiſtratoribus, Caſtellanis, Judicibus, ſeu alijs officialibus vel a noſtris Capitaneis, Caſtellanis, Phlegariis, Judicibus vel Officialibus quibuſcunque nominibus cenſeantur, proximioribus terrarum noſtrarum metis, circa ſtratam illam, per quam prænotati ad dictum ſtudium proceſſerint. Qui eciam iam dicti Domini & officiales ſic venientes, ut predicitur ad eorum requiſicionem noſtro nomine, ſecure, & libere abſque tribucionis, muneris, ſeu propine recepcione qualibet, conducere debent, rebus & corporibus per ſue dicionis diſtrictus, uſque ad metas, domini vel officialis proximi, qui quidem iterum eisdem ſecurum conductum per ſui dominii uel amminiſtracionis territorium preſtare debet conſimiliter, quouſque ſic ſucceſſiue per ſingulorum

rum conductus ad villam Wiennenſem veniant prenotatam prout dictis prænotatis dominis & officialibus dedimus in mandatis, ac quo ſupra nomine huius ſcripti ſerie, firmiter & diſtricte mandamus & percipimus ſub obtentu noſtre Ducalis gracie & fauoris. Si quis vero Magiſtrorum vel Scolarium adveniencium ob dilacionem preſtandi conductus dampnum incurreret, vel pro dando conductu daret munera, vel propinas, hec dampna, propinas vel munera faciemus cum effectu refundi uel reſtitui, vel de noſtra camera refundemus. Quidquid igitur adeuntes dictum ſtudium amiſerint ut predicitur de quo legitime edocti fuerimus, id eis ſoluere ac refundere debemus & volumus, ſine dolo, dummodo pateat vel doceri valeat, quod conductum modo exegerint prelibato, Nosque Inueſtigacione ſtudioſe prehabita de ammiſſione huiusmodi, easdem res, vel earum equiualenciam extorquere debebimus, & volumus ab eo, in cuius diſtrictu uel amminiſtracione amiſſio talis dinoſcitur eſſe facta, & huic paſſus jacturam jam tactam debet cum primum poterit, intimare, nosque ſuper eadem amiſſione debemus facere Juſticiam, vel alias de ea cognoſcere, quemadmodum juxta qualitatem negocii nobis viſum fuerit expedire. Conſimili ſecuritate & privilegio gaudere debent Magiſtri vel ſtudentes, eorum famuli vel nuncii de dicto ſtudio ad propria redeuntes, ita tamen quod in exeundo terras noſtras conductum requirant, quemadmodum eſt permiſſum. Omnia quoque, que pro magiſtrorum, ſtudencium vel ſcolarium dicti ſtudii ac aliarum perſonarum de ipſa Uniuerſitate exiſtencium victu, veſtitu, vel alio quouis uſu licito per eos vel per eorum famulos, vel nuncios adducta vel alla-

ta

ta fuerint ſuper terra vel ſuper aquis, in libris, auro, argento, pecunia, pannis, veſtimentis, lectiſterniis, annona, vino, animalibus carnibus, piſcibus, ſpeciebus, uel rebus aliis quibuſcunque, debent absque ſolucione Mutarum Theoloniorum noſtrorum, ac ceterorum hominum, & ſine impedimento quolibet, per noſtras terras, ciuitates, & oppida adduci, libere, & reduci, ita tamen, quod predicti Magiſtri uel Studentes, eorum ſeruitores, nuncii, famuli, vel Pedelli cum rebus predictis non exerceant cambium, ſeu eciam mercaturas. Siquis vero de pretactis ſuis rebus Mutam vel Theolonium accipere vel eis inferre grauamen aliquod preſumpſerit, ſe ſciat noſtram indignacionem grauiter incidiſſe. In hac eciam ordinacione ſtatuentes, omnes Magiſtros, Studentes, & Scolares dicte Univerſitatis, eorumque ſervitores, & familiam, quos ſub ſuis habent ſumptibus, ac ipſorum Pedellos, in prenotato loco ſtudii reſidentes eximimus, & abſoluimus ab omni ſteura, exaccione, onere, & ſeruiciis oppidanorum Wiennenſis Ville, ſeu oppidi antedicti, quodque eorundem aliquis impeti ſeu in Jus trahi non debet, pro cauſa aliqua, corpus, honorem uel res concernente coram ſeculari judice, ſed duntaxat coram Rectore Univerſitatis, & ſtudii memorati. Volentes eos exemptos fore omnino, tum a dicto exaccionis genere, tum eciam a ſtrepitu Judicii ſecularis, tali determinacione addita, ſi quod abſit, aliquis Magiſtrorum, Studencium vel Scolarium dicte Uniuerſitatis in ſacris conſtitutorum ordinibus ſive non, pro tali exceſſu nephario, ob quem de jure, ſi foret laycus, membrum Univerſitatis non exiſtens, eſſet ad mortis exicium condempnandus, ubicunque in noſtris terris deprehenſus fuerit, debet Rectori

dicte Univerſitatis & ſtudii preſentari, coram quo, ſi de eodem exceſſu, prout Jus, vel conſuetudo loci exigerit, convictus fuerit, Idem Rector debet ipſum Judici Curie Prepoſiti Eccleſie omnium Sanctorum Wiennenſis preſentare, contradiccione qualibet non obſtante, de eodem fore factore, conuicto ut predicitur facturo Juſticiam prout conſuetum fuerit juxta canonicas Sancciones, qui prepoſitus erit noſtri Ducatus Auſtrie, & dicte Univerſitatis ſupremus Cancellarius. Idem eciam Judex Curie jam dicti prepoſiti habet, & habebit Juſticiam facere de omnibus Magiſtrorum & Studencium ſeruitoribus, & famulis laycis, qui in eorum ſunt expenſis ac ſumptibus, & Univerſitatis pedellis laycis, ſuper crimínibus, pro quibus ſunt ad mortem merito condempnandi, preſente dicte Univerſitatis Rectore, uel eo, quem ipſe ad hoc duxerit deſtinandum, ut idem Judex ab equitatis & Juſticie tramite minus valeat declinare. Porro preſentis ſcripti ſerie, quo ſupra nomine ſub obtentu noſtre gracie diſtricte precipimus dicte Ville Wiennenſi, ceteriſque noſtris, vel noſtrorum Judicibus amminiſtratoribus, phlegariis, officiatis, conſulibus uel ciuibus, ceteriſque nobis ſubiectis, quod ſi Judicii vel alterius emergentis, uel emergendi negocii pretextu Rectorem dicte Uniuerſitatis ipſorum auxilio, & Juuamine indigere contigerit, ſibi comuniter & diuiſim aſſiſtant fideliter, & ſuccurrant efficaciter, per ſe, & per ſuos ſeruitores & nuncios abſque dilacione qualibet pro qualitate negocii, quociens ſuper eo per Rectorem uel eius locum tenentem fuerint requiſiti. Sed ſi quod auertat omnipotens aliquem noſtre dicionis laycum, Baronem, Nobilem, Ciuem, Burgenſem, oppidanum uel rura-

ruralem, diuitem uel pauperem, cuiuscunque condicionis exiſtat, intra noſtrarum terrarum terminos ullum Magiſtrorum uel Studencium dicte Uniuerſitatis uel ad ipſum ſtudium accedencium uel ab eo recedencium occidere, uel ad eius mortem temere, & violenter, machinari contingeret, de perſona illius Judex in cuius diſtrictu homicidium tale perpetratum fuerit, habet ibidem per ſentenciam & decretum ſecularis Judicii judicare, ejusdem vero bona immobilia que feodalia fuerint, proprietatis cedant Domino, prediorum autem & propriorum bonorum dimidium ad nos, & dimidium ad Uniuerſitatem prehabitam devolvatur. Si autem quis laycorum ſpecificatorum ſuperius aliquem Magiſtrorum uel Studentem dicte Univerſitatis mutilaverit, ſeu manu, pede, brachio, crure, oculo, aure, naſo, vel aliquo aliorum membrorum ſuorum priuauerit, Idem, pro eo deprehenſus, membro conſimili, quo priuavit Magiſtrum uel Studentem Uniuerſitatis prehabite, eſt truncandus, niſi id ipſum membrum centum marcis argenti Viennenſis ponderis redimat, quarum medietas leſo tribuatur, reliqua vero medietas inter nos dictam Univerſitatem equaliter diuidatur, vbi vero mutilator, uel truncator membri prehabitus bona habens immobilia aufugiendo euaſerit, eius feoda ad Dominum proprietatis redeant, predia autem & propria nobis & dicte Uniuerſitati in parte cedant dimidia, & leſo reliqua tribuatur medietas, ut prefertur, Idemque ob prenotatum exceſſum proſcriptus, & deportatus ab omnibus noſtris & noſtrorum terris ac diſtrictibus eſſe debet absque ſpe ulla redeundi, niſi prius noſtram graciam, & leſi ac Uniuerſitatis predicte fauorem & licenciam obtinuerit

nuerit ſuper eo, dicti vero exceſſus perpetrator, ſi leno, ribaldus, uel aliquis vagus nullam certam habens reſidenciam fuerit, debet pene proſcripcionis, ſeu excluſionis, a noſtris, & noſtrorum terris, absque omni gracia, perpetuo ſubjacere priuandus membro ſimili, absque omnis redempcionis ope, quo Uniuerſitatis deſtituit Clericum, ſi poſt exceſſum huiusmodi in noſtris uel noſtrorum terris uel diſtrictibus fuerit deprehenſus. Sed in caſu, quo ullus Magiſtrorum uel Studencium dicte Uniuerſitatis ab aliquo hominum ut predicitur vulneratus uel uiolenta manuum, uel pedum iniec cione tam grauiter leſus fuerit, quod ex eo alicuius ſui membri officio orbaretur, tunc reo, ſeu reis violencie huiusmodi deprehenſis ſunt membra ſimilia amputanda, niſi eorum quilibet ſuum membrum redimat ſexaginta marcis argenti dicti ponderis, diuidendis ordine prelibato. Aufugiencium vero, ſeu euadencium bona infiſcata tribuantur, quemadmodum eſt permiſſum, Egentes autem & inopes a noſtris terris & diſtrictibus exulent perpetuo, & in eis deprehenſi truncentur manibus, prout ſuperius eſt expreſſum. Inſuper quo ſupra nomine ſtatuimus, quod ſi quis Magiſtrorum uel Studencium ab ullo ſauciatus, uel ex violenta manuum uel pedum incuſſione taliter leſus fuerit, quod tamen ex eo membrorum ſuorum officia non amittit, quod eidem Leſori pro eo deprehenſo debet manus pugione transfigi, niſi id redimat quadraginta marcis argenti dicti ponderis, ut predicitur, diuidendis, & ſi idem aufugiendo judicium euaſerit, omnia ejus bona infiſcare debebimus, & infiſcata tenere, quouſque noſtram graciam obtinuerit, ac ipſi leſo, & dicte Uniuerſitati reconciliatus fuerit ſuper eo, nos tamen

dire Illi vero qui in hac Univerſitate in dicta facultate honorem magiſterii recipere merebuntur, quilibet dicto budello ad ſolucionem unius floreni aurei ex hoc Univerſitatis ſtatuto teneantur Item ſtatuimus quod quociens Rectorem Univerſitatis novum continget eligere Rector de novo electus dicto Univerſitatis budello electionis ſue tempore unum florenum aureum ſolvere teneatur Item quicunque doctor magiſter vel determinans vel quicunque alius ad iſtam Univerſitatem aliunde advenerit, & ad faciendum actus Scolaſticos Rectori Univerſitatis intimare voluerit non admittatur niſi prius ſolverit dicto budello viginti quatuor denarios Wyennenſes Item ſtatuimus quod nulli proceſſus execucionis ſuper privilegio Univerſitatis de quinquennio determinatur, niſi prius ſolverit dicto budello viginti quatuor denarios Wyennenſes Item in cujuslibet defuncti cujus exequias Univerſitas peragere voluerit exequiis dicto Univerſitatis budello viginti quatuor denarios Wyennenſes hujusmodi exequias procurantes ſolvere tenebuntur Inſuper ſtatuimus quod pauperes & non bene habentes ad hujusmodi predicta non teneantur ſed eis propter Deum ſingula predicta benivole miniſtrentur dum tamen ſe non habere legitime coram Univerſitatis Rectore declaret, verum quod refamulari velit ei qui graciam fecit De modo ſerviendi Univerſitati de ipſo budello ordinacionem infra ſcriptam modo quo ſupra duximus ordinandam Primo igitur ordinavimus & ſtatuimus quod budellus Univerſitatis primo accepcionis ſue tempore juret Univerſitati toti fidelitatem quod officium ſibi commiſſum circa quemlibet de Univerſitate fideliter exequatur. Item in cujuslibet Rectoris novi eleccione jurabit Recto-

Rectori electo quod committenda ſibi per ipſum Univerſitatis nomine ad officium ſuum ſpectancia tempore Rectorie ipſius Rectoris fideliter exequatur Item ſtatuimus quod in omnibus determinacionibus bacalariorum licenciacionibus licenciandorum & incepcionibus in artibus Magiſtrorum budellus Univerſitatis exiſtat Item quod in omnibus congregacionibus Univerſitatis videlicet miſſis exequiis offertoriis proceſſionibus quotlibet diſputacionibus publicis judicijs & earum deciſionibus & quociens Rectorem in negociis Univerſitatis exire contigerit budellus predictus Rectori ſemper aſſiſtat aliis autem diebus ſemel vel bis prout optimum fuerit ſe repreſentet Rectori ſi forte aliqua Univerſitatis negocia ſibi ſuerint committenda Inſuper ſtatuimus quod predictus budellus inceptiones librorum & diſputaciones Magiſtrorum in ſcolis proclamare debeat ſi ad hoc fuerit requiſitus Item quod dictus budellus nullum citare vel vocare debeat niſi hoc a Rectore ſpecialiter habeat in mandatis Quicunque autem per budellum vocatus venire renuerit velud Univerſitatis contemptor ſecundum Univerſitatis conſilium puniatur niſi pro eo excuſacio legitima interpelletur Hec ordinavimus & ſtatuimus concorditer conſtitucione perpetue valitura ad hoc ſpecialiter congregati & in euidens teſtimonium huius noſtre concordis conſtitucionis ſigillum Vniuerſitatis noſtre preſentibus duximus appendendum Datum Wyenne anno Domini MCCCLXVI octava die menſis Auguſti

BULLA

Urbani VI. Pontificis de dato 12. Febr. 1384. qua Alberto III. Studium quoque theologicum concedit.

URBANUS Epiſcopus Seruus Seruorum dei: Ad perpetuam rei memoriam: Dum generoſos palmites & fructus uberes, quos in domo Domini uitis abundans & arbor fertilis Vniuerſitas uidelicet dilectorum filiorum Doctorum, Magiſtrorum, & Scolarium Studij ville Wiennenſis Patauienſis Dioceſis retroactis temporibus ad decus & preſidium ſingulare eccleſiæ militantis & rei publice ſedulo & amene produxit & continue producit, uolumus attenta meditatione & grata memoria recenſere, exiſtimamus profecto nos non immerito debitores, ut Vniuerſitatem eandem ſicut indeſinenter de bono in melius propagatur ita precipuis gratiarum impendijs & honoribus ſpecialibus decoremus, firma ſpe, fiduciaque conceptis, quod quanto Vniuerſitas ipſa precioſioribus monilibus ſe conſpexerit uenustatam, tanto plures & excellentiores propagines producere ac ſuauiores fructus conabitur enutrire. Dudum ſiquidem pro parte quondam Rudolphi Ducis Auſtrie expoſito felicis recordationis Urbano pape V. Predeceſſori noſtro, quod ipſe Dux non ſolum ad utilitatem & proſperitatem reipublice & incolarum Ducatus ſui Auſtrie, ſed etiam aliarum partium uicinarum laudabiliter intendens in dicta villa Wiennenſi in eodem Ducatu conſiſtente tanquam inſigniori & magis ad hoc accomoda & ydonea plurimum deſiderabat fieri & ordinari per ſedem Apoſtolicam Studium generale in qua-

qualibet licita facultate, ut ibidem fides catholica dilataretur, erudirentur ſimplices, equitas ſeruaretur, iudicij creſceret ratio & intellectus hominum augeretur, idem predeceſſor premiſſa ac etiam eximie fidei & deuotionis ſinceritatem, quam tam ipſe Dux, quam Progenitores ſui Duces Auſtrie ad Sanctam Romanam eccleſiam geſſerant prout idem Dux gerebat attente conſiderans & ferventer affectans quod Ducatus & villa predicti ſcientiarum muneribus ampliarentur, ut viros producerent conſilij maturitate conſpicuos, virtutum redimitos ornatibus, ac diuerſarum facultatum dogmatibus eruditos, eſſetque ibi ſcientiarum fons irriguus, de cujus plenitudine haurirent uniuerſi literarum cupientes imbui documentis, hijs atque alijs diligenti examinatione penſatis de fratrum ſuorum ſancte Romane eccleſie Cardinalium conſilio auctoritate apoſtolica ſtatuit & etiam ordinauit, ut in dicta villa de cetero eſſet Studium generale, illudque perpetuis temporibus inibi uigeret tam in iuris canonici & ciuilis quam in alia qualibet licitam preterquam in Theologica facultate, & quod legentes & ſtudentes ibidem omnibus priuilegiis, libertatibus & immunitatibus conceſſis doctoribus legentibus in quouis Studio generali gauderent & potirentur, quodque illi, qui proceſſu temporibus brauium meruiſſent in illa facultate in qua ſtuduiſſent obtinere, ſibique docendi licentiam ut alios erudire ualerent, ac Doctoratus ſeu Magiſterij honorem petiviſſent elargiri per Doctores ſeu Doctorem ac Magiſtros ſeu Magiſtrum illius facultatis in qua examinatio fuiſſet facienda Prepoſito eccleſie Omnium Sanctorum dicte uille, qui eſſet pro tempore, vel prepoſitura ipſius eccleſie uacante illi, qui ad hoc per dilectos filios Capitulum

tulum ejusdem eccleſie deputatus foret preſentarentur, idemque Prepoſitus aut deputatus ut præſertur Doctoribus & Magiſtris in eadem facultate actu inibi regentibus conuocatis illos in hijs, que circa promouendos ad Doctoratus ſeu Magiſterij honorem requiruntur per ſe uel alium juxta modum & conſuetudinem, qui in talibus in generalibus Studijs obſeruantur, examinare diligenter, eisque ſi ad hoc ſufficientes & ydonei reperti forent hujusmodi licenciam tribueret, ac Doctoratus ſeu Magiſterij conferret honorem. Illi vero, qui in eodem Studio dicte ville examinati & approbati fuiſſent, ac docendi licenciam & honorem hujusmodi obtinuiſſent ut eſt dictum extunc absque examine vel approbatione alia regendi & docendi tam in villa predicta, quam in quibuslibet alijs Studiis generalibus in quibus uellent regere vel docere ſtatutis & conſuetudinibus quibuscunque contrarijs apoſtolica uel quacunque firmitate alia roboratis nequaquam obſtantibus plenam haberent & liberam facultatem, prout in dicti predeceſſoris litteris inde confectis plenius continetur. Cum autem ſicut exhibita nobis nuper pro parte dilecti filij Nobilis viri Alberti Ducis Auſtriæ germani dicti Rudolphi Ducis petitio continebat, poſt ſtatutum & ordinationem hujusmodi ipſius predeceſſoris Studium generale in predictis facultatibus in eadem villa introductum per Dei gratiam felicibus ſucceſſibus uſque ad moderna tempora ſemper de bono in melius perſeverans multipliciter auctum ſit adeo quod retroactis temporibus multi eximij in eisdem facultatibus prouecti inde prodierunt & prodeunt cotidie ad magnum decus & preſidium vniuerſalis eccleſie & rei publice, ac ad preſens ſolenne & frequens exiſtat, pro parte ipſius Alberti Ducis nobis

nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ad hoc quod Studium ipſum juxta ipſius Alberti ducis & ſuorum fidelium in hac parte deſiderium peramplius & perfectius decoretur, quod in eodem Studio ſacra Theologia publice legi poſſit, & ibidem in eadem Theologia Studentes diſputare, & alios actus Scolaſticos exercere, ac Bacallariatus & Licencie, ac Magiſterij honores & gradus alios in ipſa Theologia recipere, & ad illos promoueri poſſint, prout in Bononienſi uel Pariſienſi aut Cantabrigie, uel Oxonienſi Studijs generalibus in ſimilibus eſt fieri conſuetum, concedere de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Studium ſacrarum litterarum, per quas fides catholica roboratur & augetur, & rudes ac indocti perducuntur ad agnitionem ueri dei, accreſcere temporibus noſtris feruenter appetimus, hujusmodi ipſius Alberti Ducis in hac parte ſupplicationibus inclinati, auctoritate apoſtolica tenore preſentium ſtatuimus & etiam ordinamus, quod de cetero in villa predicta in eadem Theologia ſit Studium generale, & quod legentes & ſtudentes ibidem in Theologia predicta omnibus & ſingulis gratijs, immunitatibus, prerogatiuis, libertatibus & privilegijs conceſſis Magiſtris, Licenciatis, Bacallarijs, ac legentibus & ſtudentibus in dicta Theologia commorantibus in Bononienſi vel Pariſienſi aut predictis alijs Studiis generalibus, in quibus quod hujusmodi Theologia legi poſſit a ſede apoſtolica eſt indultum, gaudeant & utantur, quodque illi, qui proceſſu temporis Bacallariatus ſeu licencie aut Magiſterij uel alium gradum ſeu honorem in dicta Theologia meruerint, voluerint & petierint ſibi elargiri per Magiſtros ſeu Magiſtrum facultatis ejusdem prefato Prepoſito uel deputato hujusmodi preſententur, ipſeque Prepoſitus

tus

tus uel deputatus Magiſtris in eadem facultate actu inibi regentibus ſeu alias commorantibus convocatis illos in hijs, que circa promovendos ad Magiſterij ſeu licentiæ vel Bacallariatus ſeu alium honorem & gradum in dicta Theologia requiruntur, per ſe uel alium juxta modum & consuetudinem, qui ſuper talibus in predictis Bononienſi ſeu Pariſienſi vel alijs generalibus Studijs obſeruantur, examinare ſtudeat diligenter, eisque ſi ad hoc ſufficientes & ydonei reperti fuerint, hujusmodi Bacallariatus ſeu licencie vel magiſterij aut alium honorem ſeu gradum largiatur. Illi autem, qui in eodem ſtudio dicte ville examinati & approbati fuerint, ac docendi licenciam & honorem ſeu gradum alium hujusmodi obtinuerint ut eſt dictum, ex tunc absque examine & approbatione alia regendi & docendi tam in villa predicta, quam in quibusvis alijs generalibus Studijs, in quibus uoluerint regere uel docere, Statutis & conſuetudinibus quibuscunque contrarijs apoſtolica vel alia quavis firmitate uallatis nequaquam obſtantibus plenam & liberam habeant facultatem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtre conſtitutionis & ordinacionis infringere, uel ei auſu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare preſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe nouerit incurſurum. Datum Neapoli apud majorem eccleſiam Neapolitanenſem X. Kal. Martij Pontificatus noſtri Anno Sexto.

BUL-

BULLA

Urbani Sexti Pont. de dato 20. Febr. 1384. qua Doctoribus Magiſtris & Studentibus in Univerſitati Viennenſi facultatem tribuit percipiendi beneficiorum proventus ad quinquennium.

URBANUS epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei Dilectis filijs uniuerſis Doctoribus Magiſtris & Scolaribus Studij ville Wyennenſis Patauienſis Dioc. ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Dum attente conſiderationis indagine perſcrutamur quod per litterarum ſtudia cooperante illo a quo omnium cariſmatum dona manant viri efficiuntur ſcientijs eruditi per qvos equum ab iniquo diſcernitur, erudiuntur rudes, prouecti ad alciora concreſcunt, & fides catholica roboratur libenter non ſolum loca ubi hujusmodi pollent ſtudia, ſed etiam ſtudentes in eis munimus gratijs & libertatibus honoramus. Veſtris itaque in hac parte ſupplicationibus inclinati uobis auctoritate apoſtolica tenore preſentium indulgemus, ut uos & ueſtrum ſinguli in Villa Wyennenſis Patauienſis Dioc. litterarum in qvalibet licita facultate ſtudio inſiſtendo fructus redditus & proventus omnium ueſtrorum beneficiorum eccleſiaſticorum ſecularium & regularium cum cura & ſine cura, etiam ſi Canonicatus & prebende ac dignitates perſonatus & officia in Metropolitanis Cathedralibus & Collegiatis ecclesijs exiſtant, dummodo dignitates ipſe in eisdem Metropolitanis uel Cathedralibus poſt pontificales maiores aut in Collegiatis eccleſijs principales non fuerint, cum ea integritate uſque ad Quinqvennium

nium a data preſentium computandum, quotidianis duntnxat diſtributionibus exceptis percipere libere valeatis, cum qva illos perciperetis ſi in eccleſijs ſive locis in quibus beneficia ipſa fuerint perſonaliter reſideretis, & ad reſidendum interim in eisdem eccleſijs ſive locis minime teneamini, neque ad id a qvoqvam inuiti ualeatis coartari. Non obſtantibus ſi prefati doctores Magiſtri & Scolares uel eorum aliqui in eisdem eccleſijs ſiue locis in qvibus huiusmodi beneficia forſan fuerint primam non fecerint perſonalem reſidentiam conſuetam, & quibuscunque Statutis & Conſuetudinibus eccleſiarum uel locorum in quibus huiusmodi beneficia fuerint contrarijs iuramento, confirmatione apoſtolica uel quacunque alia firmitate uallatis, etiam ſi de illis ſeruandis & non impetrandis litteris apoſtolicis contra ea & ipſis litteris non utendo, etiam ab alio uel alijs impetratis ſeu alias qvouis modo conceſſis per uos uel procuratores veſtros preſtiteritis, uel uos ſeu veſtrum aliqvem preſtare forſitan impoſterum contigerit iuramentum. Seu ſi locorum Ordinarijs a ſede apoſtolica ſit indultum, uel interim indulgeri contingat quod Canonicos & perſonas eccleſiarum ſuarum Ciuitatum & dioc. etiam in dignitatibus uel perſonatibus ſeu officijs conſtitutos per ſubtractionem prouentuum ſuorum eccleſiaſticorum uel alias compellere ualeant ad reſidendum perſonaliter in eisdem. Aut ſi eisdem ordinarijs & dilectis filijs Capitulis earundem eccleſiarum, uel quibusuis alijs communiter uel diuiſim a prefata ſede indultum exiſtat uel medio tempore contigerit indulgeri qvod Canonicis & perſonis earundem eccleſiarum etiam in dignitatibus uel perſonatibus ſeu officijs

cijs conſtitutis non reſidentibus in eisdem, uel qui primam in illis perſonalem reſidentiam non fecerint, fructus, redditus & proventus beneficiorum prediſtorum miniſtrare minime teneantur & ad id compelli non poſſint per litteras apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, & quibuslibet priuilegijs & litteris apoſtolicis generalibus uel ſpecialibus quorumcunque tenorum exiſtant, per que preſentibus non expreſſa uel totaliter non inſerta effectus earum impediri ualeat quomodolibet uel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus de uerbo ad uerbum habenda ſit in noſtris litteris mentio ſpecialis. Prouiſo quod interim beneficia hujusmodi debitis obſequijs non fraudentur, & animarum cura in eis quibus illa imminet nullatenus negligatur, ſed per bonos & ſufficientes vicarios quibus de beneficiorum ipſorum prouentibus neceſſaria congrue miniſtrentur diligenter exerceatur, & deſeruiatur inibi laudabiliter in diuinis. Volumus autem quod ſi alias aliqvibus ex prefatis doctoribus Magiſtris ſeu Scolaribus ut fructus redditus & proventus beneficiorum ſuorum eccleſiaſticorum litterarum ſtudio inſiſtendo, uel in aliquo beneficiorum ipſorum, aut in Romana Curia ſeu alibi reſidendo absque prefinitione temporis uel ad certum tempus etiam iam elapſum percipere ualerent a ſede apoſtolica uel auctoritate ordinaria fuiſſet conceſſum, preſentes noſtre littere qvo ad illos ex doctoribus Magiſtris & Scolaribus prediſtis quibus conceſſio hujusmodi alias ut profertur facta fuiſſet nullius exiſtant roboris uel momenti Nulli er-

go omnino hominum liceat hanc paginam noſtre conceſſionis & voluntatis infringere uel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare preſumpſerit indignationem omnipotentis dei & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Neapoli apud maiorem eccleſiam Neapolitanam X. Kal. Marcij Pontificatus noſtri Anno Sexto.

BUL-

BULLA

Urbani VI. Pont. dat. 20. Febr. 1384. qva Ord. Ciſtercienſ. facultatem tribuit in Univerſitate Viennenſi Studium Theologicum accedendi.

URBANUS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Hodie per alias noſtras Literas ſtatuimus & ordinavimus, qvod in Villa Wiennenſi Patavienſis Dioceſis, in qva generale ſtudium tam in juris canonici & civilis, qvam in alia qvalibet licita preterqvam in Theologica Facultatibus hactenus eleganter viguerat prout viget de preſenti, Sacra Theologia publice legi poſſet, & in ea ibidem Studentes ad gradus & honores conſvetos promoveri valerent, prout in ipſis litteris plenius continetur. Ut autem commoditatibus in eadem Theologia ſtudere & proficere cupientium conſulamus, auctoritate Apoſtolica de ſpeciali gratia concedimus. Per preſentes qvod omnes & ſinguli Abbates, & priores alij Prelati Monaſteriorum, Prioratuum & locorum qvorumlibet Ciſtercienſis ordinis ubicunqve conſiſtentium, qvi per ſe vel cum conventibus ſuis & conventus Monaſteriorum, Prioratuum ſeu locorum predictorum, qvi per ſe ſive Abbatibus, ſeu Prioribus uel prelatis ſuis ſecundum ſtatuta vel conſvetudines ejusdem ordinis aliqvos monachos ipſius ordinis ad hoc per eos eligendos cauſa ſtudendi in predicta Theologia ad certa & determinata ſtudia deſtinare tenentur monachos ipſos ad ſtudium Ville Wiennenſis predicte cauſa ſtudendi in eadem

dem Theologia deſtinandi de cetero liberam habeant Facultatem predictis & alijs ſtatutis ac ordinationibus & conſuetudinibus monaſteriorum Prioratuum & locorum ac ordinis predictorum contrarijs juramento confirmatione Apoſtolica uel alia quauis firmitate uallatis non obſtantibus quibuscunqve. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtre conceſſionis infringere uel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare preſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe noverit incurſurum. Dat. Neapoli apud majorem Eccleſiam Neapolitan. X. Kal. Martij Pontificatus noſtri anno ſexto.

DI-

DIPLOMA

Alberti III. Ducis Auſtriæ de anno 1384. concernens Privilegia Univerſitatis Viennenſis.

IN NOMINE SANCTE ET INDIVIDUE TRINITATIS, AMEN. Albertus Tercius Dei gracia Dux Auſtrie Styrie Karynthie & Carniole. Dominus Marchie Sclauoniæ, ac Portus naonis. Comes in Habſpurg, Tyrolis, Ferretis & in Kyburch, Marchio Burgouie, ac Landgrauius Alſacie, Omnibus Chriſti fidelibus preſencium auditoribus ſeu lectoribus nunc & temporibus in futurum ſalutem in Domino cum noticia perpetua ſubſcriptorum. Sancti Spiritus ammonicione in memoriam reuocato quomodo dudum alias in annis minoribus conſtituti, una cum ſereniſſimo quondam Principe, Germano noſtro dilectiſſimo, Domino Rudolfo, celebris memorie, Duce Auſtrie &c. tunc ſuperſtite ſancta & ſalubri cogitacione, maturaque deliberacione, ac conſilio diligenti previjs, Adhibitis eciam circa id verborum operum & geſtuum ſolennitatibus conſuetis & debitis ad hoc quomodolibet oportunis de gracia quoque, conceſſione, & indulto ſpecialibus, Sanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri domini Vrbani Quinti Sacroſancte Romane ac Vniverſalis eccleſiæ ſummi pontificis, noſtro ac omnium noſtrorum Heredum & ſucceſſorum in perpetuum nomine, felici auſpicio, dotauimus & ereximus, rite & legitime, publicas & priuilegiatas Scolas, & Studium generale, in opido ſeu villa noſtra Wiennenſi, Patauienſis Dioceſis,

ceſis. Indignum arbitramur, & incongruum, Nos, diuina clemencia tot principatuum, tot dominiorum titulis ſublimatos, tantisque prerogativis Imperialibus inſignitos, rem hanc grandem & altam, qua creatoris clementia laudabiliter in celis, ejusque fides orthodoxa dilatabitur in terris, augebitur ratio, creſcet reſpublica, & in ſubiectis nobis populis, lux fulgebit iuſticie & veritatis, per incuriam aut ignauiam negligere, ſed pocius diuinalium beneficiorum gratos receptores, rem hujusmodi ſummo fervore proſequi, & pro viribus liberaliter & magnifice, ad perfectum vſque deducere complementum, Cupientes igitur, apud nos, prefatas litterarum Scolas generales, incrementis ſemper felicibus proſperari, & tanquam lucernas in domo domini accendi luciſluas caliginem tenebrarum excecancium, ignorancie & malicie, a finibus vniuerſalis eccleſiæ, claro lumine proſcripturas, Volumus, ſtatuimus & decernimus, priuilegia, libertates, gracias, & ordinaciones ſingulas, racioni conſonas, quibus tempore predicti quondam fratris noſtri Ducis Rudolfi, videlicet Anno natiuitatis domini Milleſimo trecenteſimo ſexageſimo quinto, prefatum ſtudium noſtrum, notorie, autenticis litteris noſtris, dotauimus & diſpoſuimus, valere & obtinere perpetui roboris firmitatem. Singulariter quoque, prout ea & eas in preſenti pagina, ſuperfluis reſectis, & ambagibus ſuccisis, enucleacius ponimus, ac moderando breuius perſtringimus in hac forma. Inprimis videlicet, confirmantes ordinacionem, qua alias juxta ordinaciones & conſuetudines, Venerabilis Studij Pariſienſis, voluimus in Villa noſtra Wiennenſi predicta, diſponi & eſſe, Studium generale litterarum,

rum, nobis, ſicut premittitur, a ſancta ſede apoſtolica indultum, quatenus riuulum aliquem doctrine fontem parriturum, in noſtra Regione ſuſcipiamus de preclaro fonte ſapiencie, qui olim apud Grecos Athenis erupit, poſt, auctus Rome ſcaturijt, & demum Pariſijs receptus excreuit in stagnum habundancium aquarum fluentis doctrine, orbem irrigancium vniuerſum. Item ordinabamus ac nunc ordinamus & volumus, totum dicte Vniuerſitatis noſtre clerum, ad inſtar Pariſienſis Studij, in quatuor partes diuidi, quas ſolitum eſt naciones vocari, Easque nationum diſtinctiones, ordinamus & diſtinguimus, in hunc modum. Quod omnes Magiſtri & Scolares, de noſtris terris & dominijs exiſtentes, annumerentur ſub una natione, una cum ſibi adjunctis prouincijs, ſcilicet, Patriarchatu Apuilegienſi, Dioceſi Tridentina, Curnalia, Tota Italia, ac cum alijs prouincijs & diſtrictibus Vltramontanis, Quam vocari volumus nacionem Auſtriæ, & eam inter ceteras eſſe Priorem. Conſequenter omnes, Bauaros, Suevos, Alſaticos, qui non cadunt ſub dominiorum noſtrorum aliquo, nec non etiam Renenſes omnes, ab origine Reni uſque ad locum ſui caſus in mare, volumus eſſe de una nacione. Quibus addimus, pariter & Francones & Haſſones, & ſi qui fuerint de prouincijs inter Franconiam & Bauariam, alijsque ſuperius nominatis, omnia quoque Regna & provincias verſus occidentem, & Meridiem, ut ſunt, Francia, Arrogonia, Hiſpania, Nauarra Hollandia, Flandria & Brabancia, Hanc quoque vocari ſtatuimus nacionem Renenſium & inter cæteras eſſe Secundam. Item omnes Vngaros, Bohemos, Polonos, Morauos, Slauos, cum omnibus ſibi annexis in ydiomatibus Gre-

Grecos qvoque, eſſe volumus de una nacione; Et hanc Ungarie appellari, interque ceteras Terciam collocari. Item omnes Saxones, Weſtfalos, Fryſones, Turyngos, Miſsnenſes, Brandemburgenſes, Prutenos, Lyuonienſes, Nuſacienſes, Pomeranos, cum Regnis aliis ultra marinis, Scilicet Anglia, Ybernia, Scocia, Suecia, Noruegia, & Dacia, ad unam nacionem ſtatuimus, & hanc inter ceteras eſſe Quartam. Preterea volumus quod earundem quatuor naciomum, quelibet unum de ſuis & pro ſe, Procuratorem eligat, virum literatum, ad hoc habilem & ydoneum, de Vniuerſitatis gremio exiſtentem. Antedicti eciam quotuor procuratores tocius Vniuerſitatis Rectorem eligere habeant, ſecularem, qui ipſis ad hoc aptus videbitur, ſiue Artium ſiue alterius facultatis profeſſor, aut alias membrum Vniuerſitatis fuerit, & ydoneus ad id officium gubernandum. Idemque Rector, hujusmodi electione ſola, ſit abſque inveſtitura alia confirmandus, ac in Rectoria eadem per anni medietatem permanſurus. In caſu uero diſcordie procuratorum in electione, & diuiſionis eorum in partes equales, cui parti, Rector qui eſt pro tempore vocem dederit, Rector ſit ſine pluri. Illi vero, qui preſunt in quatuor Facultatibus, uel ex electione, vel ex antiquitate, Decani vocentur, quemadmodum in Pariſienſi ſtudio antedicto. Denique ſtatum Rectoris hujusmodi proſequentes, decernimus & ſtatuimus per preſentes, ipſum, tum divine majeſtatis cujus res agitur, tum eciam noſtre conſideracionis reſpectu, ab omnibus & ſingulis, Prelatis, & dominis Epiſcopis, Abbatibus, prepoſitis, necnon Comitibus, Baronibus, Militibus, Ciuibus, alijsque tam Spi-

Spiritualibus, quam temporalibus, principatuum ſeu dominiorum noſtrorum Incolis quibuscunque, digne reverenter atque gratanter, recipi ac tractari, quociensque, aliquid, pro Vniuerſitate; vel ejus ſuppoſitis, coram nobis vel ipſis, tractare habuerit, indilate admitti, una cum comitiua ſua, honeſteque & decenter recipi, pacienter audiri, celeriter expediri. Precipimus nichilominus ſub obtentu gracie noſtre, diſtricte & firmiter, fidelibus noſtris dilectis, Conſulibus & Communi predicte Ville noſtre Wyennenſis, aliisque Vniuerſis & ſingulis noſtris, uel noſtrorum, Judicibus, Amminiſtratoribus, Officiarijs, Conſulibus, ac quibuscunque noſtris ſubiectis, quatenus, ſi Judicij, uel cuiuscunque alterius, emergentis vel emergendi negotij pretextu, ipſum Rectorem, eorum auxilio ſeu iuuamine, indigere contigerit, ſibi, communiter & diviſim, toto poſſe ſuo, ſuccurrant, fideliter & aſſiſtant, efficaciter, per ſe & per ſuos ſeruitores & nuncios, absque dilacione qualibet pro qualitate negocij, quando & quociens oportunum fuerit, & ſuper eo, per ipſum vel eius locum tenentem, fuerint requiſiti. Ordinamus eciam, quod dicta Vniuerſitas Studij noſtri, pro ſuis cauſis & negociis, magnum ſigillum habeat, & paruum, atqve ſignetum. Idemqve paruum ſigillum atque ſignetum, ſemper in Rectoris eſſe volumus poteſtate, quibus ipſe perſonaliter, vel coram ſe preſencialiter, litteras Sigillari faciat, vel ſignari. Magnum vero Sigillum una cum Vniuerſitatis litteris, & priuilegijs reponendum, & conſeruandum fore decernimus, in archa, vel ſcrinio, quatuor clauibus obſerato, Quas quidem claues, cuſtodiri & teneri volumus, a Quatuor

facultatibus ſcilicet Theologie, Juris, Medicine & arcium Liberalium, Illo modo, quod vnam Rector, habeat clauem ſue facultatis, Alias vero tres Claves, cuſtodiant decani aliarum trium facultatum. Verum, ſi cuiusvis prediċtarum quatuor Facultatum Decanus, commode haberi non poſſet pro tempore, tunc Clauis eiusdem facultatis, Procuratori Nacionis Auſtrie preſentetur. Statuimus quoque & volumus, quod viſis litteris Rectoris prehabiti, Vniuerſitatis Sigillo magno vel paruo, aut ipſius Signeto, ſigillatis, teſtificantibus earum preſentatores veros eſſe Magiſtros vel Scolares, Vniuerſitatis Studij Wyennenſis, vel eorum ſeruitores, omnes & ſinguli, noſtrorum Theoloniorum Mutarum aliorumue reddituum aut prouentuum Collectores, ceterique noſtri Officiales & ſubditi, quibuscunque nominibus nuncupentur, fidem adhibeant, pariter & obediant, in ipſorum Magiſtrorum, vel Scolarium exempcionibus, eosque preſentatores, ſine requiſicione alterius teſtimonij, expediant indilate. Ceterum in exempcione Studentium liberaliorum veſtigia principum ſequi volentes, ne fortaſſis de exiguo avaricie arguamur, aut huiusmodi Studium, ſuſpicemur, pecuniarum acquirendarum animo erexiſſe, Idcirco, modico illo, quod per exempcionem Scolarium, noſtris prouentibus ſubtrahi poterit pro nichilo reputato, cum id ipſum, aliunde, in Spiritualibus, ymo utrisqve bonis, nobis & noſtris, multipliciter reconpenſari, minime dubitemus, liberaliter confirmamus Statutum, quo & nunc, omnes Magiſtros, Doctores, Bacallarios & Scolares, dicti noſtri Studij, eorum que veros ſeruitores & bedellos, abſoluimus & eximimus

mus, ex certa ſciencia, & tenore preſencium, ab omnibus, Steura Mutuo, Contribucionibus, ſeu quibusuis alijs exaccionibus, omnibus, aut ſeruicijs, opidanorum Ville noſtre Wiennenſis prefate, ac aliorum omnium, nobis in noſtris Territoriis ſubiectorum Quodqve nullus eorundem Magiſtrorum vel Scolarium, pro quacunque cauſa, corpus, honorem, vel res ipſius, concernente quomodolibet, impeti, vel in ius trahi, debeat ſeu valeat, coram Judice ſeculari. Quibus addentes, irrefragabiliter obſeruari precipimus, priuilegium alias per nos dicto Studio noſtro traditum, ſuper punicione ledencium aliquem de Magiſtris vel Studentibus aut eorum ſeruitoribus, Cuius quidem priuilegij tenor erat talis. Si, quod auertat deus omnipotens, aliquem noſtre dicionis Laycum, Comitem, Baronem, Nobilem, Ciuem burgenſem, Opidanum vel Ruralem diuitem uel pauperem, cuiuscunque condicionis exiſtat, intra Terrarum noſtrarum terminos, ullum Magiſtrorum vel Studencium dicte Vniuerſitatis, vel ad ipſum ſtudium accedencium vel ab eo recedencium, occidere, vel ad eius mortem temere machinari contigerit, de perſona illius, Judex, in cujus diſtrictu, homicidium tale perpetratum fuerit, habet & debet, ibidem, per ſententiam & decretum ſecularis iudicii iudicare, Eius uero bona, ſi profugus fuerit, immobilia, que feodalia fuerint, proprietatis cedant domino. Prædia ac propria mobilia & immobilia, quocunqve nomine cenſeantur, dimidium ad nos, & dimidium ad Vniuerſitatem prehabitam ad graciam noſtram deuoluantur. Si autem quis Laycorum ſpecificatorum ſuperius, aliquem Magiſtrum vel Studentem dicte Vniuerſitatis mutilauerit, ſeu, manu, pede, brachio, crure, oculo, au-

re, naſo, vel aliquo aliorum membrorum ſuorum priuaverit, Idem pro eo deprehenſus, membro con ſimili, quo priuavit Magiſtrum vel Studentem hujusmodi, eſt truncandus, niſi id ipſum membrum centum Marchis argenti Wiennenſis ponderis redimat, Quarum medietas leſo tribuatur, Reliqua vero medietas inter nos & dictam Vniuerſitatem equaliter diuidatur. Vbi vero, mutilator vel truncator membri prehabitus, bona habens immobilia, aufugiendo euaſerit, predia illius & propria, nobis & dicte Vniuerſitati in parte cedant dimidia, & leſo reliqua tribuatur medietas, ad graciam noſtram vt prefertur. Idemqve ob prenotatum exceſſum, proſcriptus & deportatus, ab omnibus noſtris, & noſtrorum Terris, & Diſtrictibus eſſe debet, absqve ſpe vlla redeundi, niſi prius noſtram graciam, & leſi, ac Vniuerſitatis predicte fauorem & licenciam, obtinuerit ſuper eo. Dicti vero exceſſus perpetratror, ſi leno, Rybaldus, vel aliquis vagus nullam certam habens reſidenciam, fuerit, debet, pene proſcripcionis ſeu excluſionis a noſtris & noſtrorum Terris absqve omni gracia, perpetuo ſubjacere, priuandus membro ſimili, absqve omni redempcionis ope, quo Vniuerſitatis deſtituit clericum, ſi poſt exceſſum hujusmodi, in noſtris vel noſtrorum, terris aut diſtrictibus, fuerit deprehenſus. Sed in caſu, quo ullus Magiſtrorum, vel Studencium dicte Vniuerſitatis ab aliquo hominum vt predicitur, vulneratus, vel violenta manuum vel pedum iniectione, tam grauiter leſus fuerit, quod ex eo, alicuius ſui membri officio orbaretur, Tunc, reo vel reis, violencie hujusmodi, deprehenſis, ſunt membra ſimilia amputanda, niſi eorum

quili-

quilibet ſuum membrum redimat, Sexaginta Marcis argenti, ad graciam noſtram, dicti ponderis, diuidendis ordine prelibato. Aufugiencium vero ſeu euadencium bona, infiscata diſtribuantur quemadmodum eſt premiſſum. Egentes autem & inopes, a noſtris Terris & Diſtrictibus exulent perpetuo, & in eis deprehenſi, truncentur manibus, prout ſuperius eſt expreſſum. Inſuper quo ſupra nomine Statuimus, quodſi quis Magiſtrorum vel Studencium, ab ullo, ſauciatus, vel ex violenta manuum uel pedum incuſſione, taliter leſus fuerit, quod tamen ex eo, membrorum ſuorum officia non amittat, eidem leſori, pro eo deprehenſo, debet manus, pugione transfigi, niſi id redimat, Quadraginta Marcis argenti dicti ponderis, ut predicitur diuidendis. Et ſi Idem, aufugiendo, iudicium euaſerit, omnia eius bona, infiscare debebimus, & infiscata tenere, quousque noſtram graciam obtinuerit, ac ipſi leſo & Vniuerſitati reconciliatus fuerit ſuper eo, Nos tamen, de eisdem bonis, leſo, pro leſionis qualitate, ad Judicium dicti Rectoris, debebimus, de congrue ſubuencionis remedio ſubuenire. Tali vero leſori, cui rerum deeſt poſſeſſio, noſtre Terre, & dominia, ſint perpetuo interdicte, Et deprehenſo, manus, cultello ut predicitur, absqve gracia transfigatur. Et adicientes volumus & mandamus, quatenus omnes noſtri, Principes & Prelati, Comites, Barones, Clerici, & Layci, Religioſi & Seculares, Milites, armigeri, Ciues, Burgenſes, ac ceteri omnes & ſinguli intra noſtre dominacionis terminos exiſtentes, exquiſitiſſimam diligenciam obſeruent & cuſtodiant, ne dicte Vniuerſitatis Magiſtris & Studentibus alijsqve ipſius ſuppoſitis, vl-

[illegible] des mole-
[illegible] commodiſſe
[illegible] non [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] diſcend
[illegible]
[illegible]

dicibus, vel Officialibus, quibuscunque nominibus cenſeantur., proximi oribus Terrarum noſtrarum metis, circa Stratam illam, per quam, ad ipſum Studium proceſſerint prenotati. Nec predicti domini officiales ipſos Magiſtros vel Scolares pro conductu hujusmodi, ullis grauent propinis vel ſumptibus, ſed tam graciose cum eis in hoc agant & fauorabiliter, quod exinde nobis nulle querimonie fiant. Cum easdem ubi fierent, velimus ſtrictiſſime proſeqvi, & ſine penis nullatenus preterire. Si quis vero Magiſtrorum uel Scolarium aduenienciumm, ob dilacionem preſtandi ſibi conductus, dampnum incurreret notabile vel pro obtinendo ipſo conductu, daret inuitus, munera uel propinas irracionabiles, ipſa vel ipſas, dampna propinas uel munera, ſibi de noſtra Camera effectualiter refundemus. Et inamplius liberalitatem noſtram dignantes extendere, volumus, & ſtatuimus, quatenus ſi pro membris Vniverſitatis prehabite ſtudio ibidem preſencialiter inſiſtentibus, aut eorum famulis, veſtes ſeu alij panni, non integri ſed inciſi, in veſtes conſuti, vel lectisternia, aut alia hujusmodi, ad ipſorum perſonas & uſum proprium pertinencia, aut libri quicunque, adducti fuerint, Illi absque ſolucione mutarum ſeu Theoloniorum noſtrorum, aut ceterorum ſub noſtro dominio conſiſtencium, nec non ſine impedimento quolibet, per noſtras Terras, civitates, & opida, adduci valeant libere & reduci, Si quis preterea, de hujusmodi rebus quascunque exacciones, recipere, uel quoduis aliud eis in ferre grauamen preſumpſerit, Sciat ſe indignacionem noſtram grauiter incidiſſe, penaque deſtitucionis ab officio, ut reſtitucionis dupli juxta Rectoris eſtimacionem firmiter

miter puniendum. Hijs quoqve addimus diſtricte precipiendo, Mandantes omnibus nobis ſubjectis, cujuscunque condicionis exiſtant, quod ſi quis, aliquem de Magiſtris vel Studentibus dicte Vniuerſitatis violenter & armata manu inuaſerit, adhoc intercipiendum, quilibet videns accurrat celeriter, & ad capiendum inuaſorem eundem, det operam & iuvamen, Idemque captus, indilate, ſuo Iudici preſentetur, ibidem de dicta violencia conuictus, iuſticiam recepturus. Siquis vero preſencium, ſine ſui periculo notabili, hujusmodi operam dare potuerit & neglexerit, Vlcionem offenſionis noſtre ſciat ſe nullatenus euaſurum. Nec, occiſores, leſores, ſeu violenti InvaſoresMagiſtrorum velStudencium dicteVniuerſitatis, aliquo gaudere debeant aſilo, vel defendendi, emunitate, privilegio, ſeu libertate, per nos, noſtros progenitores, ſeu anteceſſores inclitos conceſſis, Monaſterijs, Eccleſijs vel locis ceteris, alicujus Principis Eccleſiaſtici vel ſecularis, Prelati, Comitis, Baronis, ſeu alterius hominis, nobilis vel ignobilis cuiuscunque, verum confugientes ad loca, capi, teneri, & condigna pena plecti debent. Non obſtantibus, emunitatibus, priuilegijs ſeu libertatibus ſupradictis, Quas & que ducali noſtra auctoritate, quo ſupra nomine, quo ad hunc caſum, tollimus, & totaliter annullamus. Volentes quantum in nobis eſt, omnem cauſam & occaſionem, exſtirpare & tollere, quibus dicta Vniuerſitas, ledi poſſit quomodolibet vel turbari. Dictorum eciam Magiſtrorum vel Studencium ſi quispiam, aliquem habet impetere, ſuper memoratis exceſſibus, vel violencijs, ſeu ſuper debitis & cauſis pecuniarijs, ſeu alijs quibuscunqve, exceptis duntaxat, cau-

ſis

ſis mortis, & criminibus infamie, Illum debet, coram ſuo Judice conuenire, ibiqve cauſam, iuxta Divini & poſitivi Juris tradicionem, duobus uel tribus, non ſuſpectis, qui de viſu vel auditu cum eo deponant, vel per alia legitima teſtimonia, euincere, & probare. Quibus eciam Magiſtris vel Studentibus Reorum Judices, ſuper ſuis accionibus, in terminis debitis, indilatam facere debent iuſticiam iuxta priuilegiorum, alias & nunc, per nos conceſſorum Vniverſitati, continenciam ſine dolo. Inſuper, inhibemus preſentibus, quod nullus Clericus vel laicus, Religioſus vel ſecularis, Chriſtianus vel Judeus, ſeu alterius condicionis homines vtriusqve ſexus, libros, cujuscunqve facultatis exiſtant, a quo Magiſtro vel Scolare dicte Vniuerſitatis, vel a quovis alio homine, de Vniuerſitate non exiſtentium, Religioſo uel ſeculari, quocunqve nomine cenſeatur, emat vel impignoret, niſi de dicti Rectoris vel commiſſarij per eum ad hoc deputati, ſcitu & licentia ſpeciali. Et ſi quis, librum aliquem ſibi ſecus vendicare preſumpſerit, Eundem, dicto Rectori, in penam absque gracia aſſignabit. Si vero, aliquis Magiſtrorum vel Studencium dicte Vniverſitatis librum ſibi furtiue ſubtractum, penes aliquem Religioſum vel ſecularem cujuscunque ſtatus exiſtat inuenerit, quem ſuum fuiſſe, teſtibus ydoneis vel alijs documentis legitimis ut premittitur probare valeat, Ille penes quem inuentus fuerit, eidem Magiſtro vel Studenti, librum ipſum, absqve qualibet contradiccione, debet reſtituere, eciamſi liber ſubtractus, ad eundem, empcionis, Inpignorationis, ſeu quouis alio titulo ſit perductus. Prouidere eciam ſalubriter cupientes, ne rerum Dominia

O ſub

ſub incerto maneant & vagentur, Statuimus, quod ſiquis, Magiſtrorum vel Studencium dicte Vniverſitatis inteſtatus decedens, bona mobilia vel immobilia reliquerit, eadem, per Rectorem Vniuerſitatis, ſeu alium vel alios, quem vel quos, Vniverſitas ad hoc eligendum uel eligendos duxerit, illeſa integraliter & absqve diminucione qualibet teneantur, Ita tamen, quod bona ſive res, qve ſeruando ſaluari non poſſunt, per premiſſos, ſeu premiſſorum aliquem habita & poſſeſſa, ad conſilium quatuor procuratorum, prouide commutentur. Siquis vero heredum, ab inteſtato ſuccedencium comparuerit, qui legitime docere poſſit, ſe ipſius defuncti proximum & legitimum eſſe heredem, eidem, ſi laycus erat defunctus beneficio Eccleſiaſtico carens, ceſſante dilacione qualibet, aſſignentur. Si vero defunctus erat Clericus, amminiſtrationem habens ſeu curatum beneficium, tunc bona ſingula, ut premittitur, penes premiſſos maneant & ſeruentur, donec peritorum conſilio ſummarie declaretur, an heredibus vel Eccleſie, aut alteri, de iure veniant aſſignanda. Proviſo tamen, quod de bonis ipſis, ut premittitur, a decedentibus relictis, Creditoribus, in Studio noſtro, vel extra manentibus, tam clericis, qvam laycis, dummodo de debitis liquere poſſit, congrue ſatisfiat (Volumus inſuper & ordinamus, quod libri ipſorum decedencium, ante diffinicionem premiſſorum, remaneant, apud librariam ſue Facultatis. Libertatibus igitur, priuilegijs, exempcionibus, & ordinacionibus preſcriptis, alias prefato noſtro ſtudio autentice conceſſis & traditis, preſencium vigore innovatis, & cum ſuis addicionibus & determinacionibus pro ut ſupra deſcribitur, approbatis,

pro-

pro dictarum quatuor facultatum videlicet Theologie, Juris Canonici & Civilis, Medicine & ſeptem arcium Magiſtris, & Studentibus, eorumqve ſervitoribus perpetuo valituris, Eidem nichilominus Vniuerſitati ſtudij noſtri, preſenti anno, videlicet a nativitate Domini Milleſimo trecenteſimo octuageſimo quarto, de ſpeciali liberalitate, domum circa clauſtrum fratrum Predicatorum ſituatam, proprio noſtro precio per nos comparatam & ſolutam, atque in Collegium certis dotatum redditibus redactam, deputamus, aſſignamus, ac pro nobis omnibusqve noſtris Heredibus & Succeſſoribus, irrevocabili dono tradimus, diſtribuendam, pro duodecim Magiſtris arcium, quorum unus ſit Bacallarius in Theologia, atque pro uno aut duobus Doctoribus in eadem facultate. Volentes, quod ſupra dicti, in Collegio prefato, prout decet, ordinate viuant & inter ſe converſentur honeſte. Et ne inpoſterum violenta precum inſtancia, aut corrupta hominum affectio, intrudere poſſit dicto noſtro collegio perſonas inutiles, ordinamus, ut quociens ibi locus vacaverit, Theologi ſi ibi fuerint & omnes Magiſtri conueniant, & ille Magiſter arcium, in quem maior eorum pars conſenſerit, recipiatur. Item ad Dei laudem precipue, nec non noſtre amminiculum ſalutis inſtituimus in predicto Collegio Capellam, in qua miſſe dicantur a Studentibus & Magiſtris presbiteris, commorantibus ibidem. Rurſum plateam eidem coniunctam domui, omnemqve ſtacionem, ſeu negociacionem hactenus in ea ſolitam fieri, abinde de cetero remouemus, ipſum Spacium ex nunc ab omni tumultu liberum, Scolaribus pro deambulatorio deputantes. Ceterum cogitantes de implecione ſan-

ſti deſiderij, pro ſalute anteceſſorum noſtrorum & noſtra, quatenus quoqve viri ſciencijs & doctrinis altis prediti, ſaltem ſpe alicuius certe promocionis alecti, amplius prouocentur, dictum Vniuerſitatis noſtre Studium accedere, ibiqve ad erudicionem fidelium laborare, ordinamus, quod deinceps de octo Canonicatibus & prebendis Collegij noſtre fundacionis in Eccleſia Omnium Sanctorum, alias Sancti Stephani, Wiennenſi proxime vacaturis, tunc & iterum perpetuo, tociens quociens easdem vacare contigerit, diſponi, & prouideri per nos & Succeſſores noſtros debeat, solummodo pro Regentibus & Magiſtris ſupradicti noſtri Collegii Facultatis arcium, juxta tenorem & formam litterarum, quas ipſis ſuper hoc aſſignauimus ſpeciales. Et adicimus, ut Magiſtro arcium aliquo ad Canonicatum & prebendam cum plenaria percepcione fructuum in dicta eccleſia promoto, ſuum vacet ſtipendium. Nolumus eciam quenquam Magiſtrorum arcium in duobus Collegijs aut locis Stipendia poſſidere. Amplius quoqve, in antiquis Scolis ad Sanctum Stephanum, artes liberales eciam publice legi ſtatuimus per quatuor precipue Magiſtros arcium alios a predictis, eorundemqve vnum ibidem eſſe Rectorem puerorum. Ipſos eciam quatuor, ſallariari perpetuo per opidanos ac communitatem dicte noſtre, ville Wiennenſis. Sic videlicet quod, illi qui Rector puerorum fuerit, annuatim Triginta due libre preter accidencia Chori Sancti Stephani, Reliquis vero tribus, ſingulis ſedecim libre denariorum Wiennenſium, perſolvantur. Preterea idem Rector Scolarium Sancti Stephani gaudeat nichilominus Juribus & Conſuetudinibus, preſentandi aut conſtituendi Rectorem Scolarium ad Sanctum

ctum Michahelem, & in Hoſpitali, nec non, & quibuscunque alijs, eo modo quo alias id fieri eſt conſuetum, dummodo paci & honori Vniuerſitatis non derogent prelibate. Idem quoque Rector, nec non aliorum quoque Scolarum Grammaticalium Regentes, & Scolares omnes & ſinguli, qui de Vniuerſitatis gremio eſſe voluerint, juxta modum infra tactum, Regiſtro inſcribi teneantur, & ita noſtris gaudeant libertatibus & priuilegijs hic decriptis. Ceterum, ne ſupradictis quoque quatuor Magiſtris, ſtipendia ciuitatis recipientibus, per inportunas forte preces, aut alias quomodolibet intrudi valeant futuris temporibus perſone inutiles, ſic diſponimus, ut quando unus eorum defecerit, Magiſter Ciuium ac conſules Rectoris ac aliorum quatuor Seniorum de quatuor nacionibus vel quatuor procuratorum conſilio utantur, de Magiſtro in locum vacantem ſubrogando, & qui predictis Magiſtro ciuium & Conſulibus, prehabito conſilio placuerit, debet absqve contradiccione aſſumi. Hoc eciam addimus quod ſine ſcitu & licentia dicti Rectoris, nulla noua Scola erigatur, aut aliquis opidanorum, Scolas priuatas in domo ſua teneat, quod ſub pena Triginta Marcharum argenti preſentibus inhibemus. Et ne occaſione abutencium ſupra ſcriptis libertatibus, ſepius forte turbentur Studentes prehabiti, aut multis proexinde cauſis emergentibus vexari Congregacionibus Magiſtros contingat, ordinamus, quod quilibet, Scolaris, Magiſter vel Bacallarius ad predictum Studium veniens, ipſiusqve membrum fieri, & eius libertatibus perfrui cupiens, preſentet ſe infra Menſem primum, Rectori Vniuerſitatis, iuraturus, atqve Regiſtro Studij aſcribendus, Nec hu-

iusmodi aſcripcio ſufficiat, quod aliquis talium ſit Scolaris aut membrum ipſius ſtudii, ſed oportet quod audiat continue aliquem Magiſtrum, Bacallarium, vel alium legentem in ipſis Scolis publicis, a facultate admiſſum, uel ab eadem admiſſus ipſemet legat, Alioquin noſtris non gaudeat privilegijs, veris duntaxat Scolaribus nec non alijs, prout ſupra deſcribitur, traditis & conceſſis. Ordinamus inſuper quod proceſſionibus Cleri ſolennibus, videlicet in feſto Corporis Chriſti, nec non funeralibus, aut ſuſcepcionibus Principum, Rector Uniuerſitatis, una cum omnibus Magiſtris Doctoribus & Scolaribus preſencialiter debeant intereſſe, hoc modo, quod Vniuerſitas ceteris non miſceatur, ſed a latere dextro Collegij omnium Sanctorum ordinate procedat, ſic quod Rector ex equo correſpondeat Prepoſito dicti Collegij, & coniunctim ſuo ordine incedant Magiſtri, & Baccallarij ſingularum facultatum, prout & Pariſius obſeruatur. In alijs autem Proceſſionibus Rector Scolarum Sancti Stephani vadat loco & ordine debitis & conſuetis. Conſequenter quoque in fauorem Studij noſtri ordinavimus, quod quicunque Rector Uniuerſitatis fuerit, poteſtatem habeat judiciariam, ſuper Scolaribus, atque aſſumendi & conſtituendi ſub ſe vnum Judicem, in cauſis ciuilibus, & caſibus emergentibus circa perſonas Laycales ſeruientes Vniuerſitati & eius ſuppoſitis, ut ſunt famuli, bedelli, notarij, nuncij, liberarij, ſcriptores, ceterique huiusmodi ſeruitores hoc adhibito, quod Idem Judex, aſſumendus ut predicitur, eciam nobis aut noſtris ſucceſſoribus, ſit ad id placibilis & acceptus. Statuimus eciam, quieti Studencium conſulere cupientes, quod nullus Juſticiarij ſiue offi-

officiales, cujuscunqne ſeruus publicus, ſiue preco, domum Magiſtri, Doctoris uel Scolaris, malefactorem quemlibet fori ſecularis inſequendo vel quouis modo querendo, intrare preſumat. Sed malefactorem talem, a Judice ſeculari qui pro tempore fuerit Vniuerſitati deputatus, ſibi extra domum preſentandum poſtulet & requirat. Item favorem noſtrum, Magiſtris & Studentibus ampliare uolentes, Mandamus & volumus, ſi quem forſitan Magiſtrum, Baccallarium vel Scolarem noſtre Vniuerſitatis, in Terris noſtris, quocunque loco, capi contingat, quod talis, honeſte ducatur & collocetur, & indilate ſignificetur Rectori, hunc captum fore, qui Rector ſi teſtetur ipſum captum Studentem dicte Uniuerſitatis exiſtere, Judex eum immediate, gratis omnino & ſine exactione pecunie, aut quacunque occaſione alia, transmittat Judici ſuo ordinario & aſſignet. Si vero capientibus, alias & ſine dicto teſtimonio conſtiterit, captum eſſe vnum de eisdem noſtris Studentibus, tunc absque mora eotenus debebunt ipſum, ut dictum eſt, Judici ſuo ordinario motu proprio preſentare. Si qvis eciam Magiſter aut Scolaris dicte Vniuerſitatis Opidanum Ville Wiennenſis quemcunque, ſuper debitis pecuniarijs habebit impetere ſtatuimus, quod actori eidem, de ipſis debitis, quas reus confeſſus fuerit, vel ipſe actor probaverit, per pecunias legitime ſatisfiat, quodque actor Idem, ad acceptandum quascunque res alias in ſolucionem eiusdem debiti pecuniarij nullatenus teneatur. Non obſtantibus, ſi predicti opidani quibuscunqve priuilegijs conſuetudinibus ſiue ſtatutis contrarium ſonantibus ſint muniti. Inſuper promittimus, nosque & Succeſſores noſtros omnes

&

& ſingulos perpetuo obligamus, quod in ſingulis alternationibus ſiue nouis creacionibus, Magiſtri Ciuium, Judicis ac Juratorum, Wyennenſis opidi, aut eorum ſingulorum, Juramentis ipſorum volumus, & debebimus in preſencia Rectoris uel eius locum tenentis inſerere, quatenus dictam Vniuerſitatem Studij & eius membra ſingula, fideliter recommiſſos habeant, Ipſorumque privilegia, libertates, exempciones, ordinaciones, & prerogatiuas ſibi a nobis & noſtris Succeſſoribus conceſſas & concedendas, conſervent firmiter & defendant. Rurſum quia fruſtra leges conduntur, niſi ſit, qui pro earum conſeruatione, transgreſſores, iuſtis plectendi animaduerſionibus habeat poteſtatem, Ideo ſtatuimus & uolumus, ut ſemper unus quem Vniuerſitas elegerit, ex illis duobus, quos in conſilium dicte ville noſtre ponimus, vel qui a noſtris Succeſſoribus poſiti fuerint, conſeruator ſit pariter & executor, priuilegiorum ſeu libertatum omnium, predicto ſtudio noſtro conceſſorum aut concedendorum a nobis ſeu noſtris heredibus ſucceſſuris. Nos itaque Albertus, Dux Auſtrie ſupradictus, recognoſcentes expreſſe, Nos Reverendi in Chriſto patris & Domini, Domini Bertoldi Friſingenſis Epiſcopi, noſtri cancellarii, ac Baronum Miniſterialium, conſiliariorum & fidelium noſtrorum, maturo prehabito conſilio, conceſſiſſe, & indulſiſſe dicte Vniuerſitati Jura, Gracias, Libertates, & priuilegia prenotata, promiſimus, ac per preſentes bona fide ac verbis noſtre Ducalis dignitatis promittimus, pro nobis & noſtris heredibus & Succeſſoribus Vniuerſis, quos obligamus & aſtringimus firmiter ad eorum ratihabicionem, & obſervanciam inuiolabilem, ea

ea om nia & ſingula prout ſunt ſpecificata ſuperius & poſita, rata & grata, firma & inconuulſa habere, & perpetuo ſeruare, Quodque nos, ipſi Vniuerſitati & ſtudio, eadem Jura, priuilegia & gracias, iuxta ipſius neceſſitatem, pro temporum & negociorum qualitatibus, meliorare extendere & ampliare volumus, ad ipſius Vniuerſitatis conſilium, quociens ipſa, ex cauſis racionabilibus & legitimis, nos requiſierit, & pecierit ſuper eo. Porro cum naturale fedus atque legalis ordinis racio, approbante conſuetudine hoc iubeat, ut filiorum poſteritas gratum habeat, in eoque complaceat, quod Religioſe diſpoſuit progenitorum probitas imitanda, neque deceat principum Succeſſores legitimos a ſuorum predeceſſorum bonis inſtitucionibus auerſos ullatenus claudicare, ſed gaudentes de huiusmodi, ad patrum atque propriam ſalutem, & honorem, eas cuſtodire carius pariter & augmentare, verentes, quod lex & natura, filios exclamant ignobiles & degeneres, ea preuaricantes, que ſtrenui tradidere Patres, Igitur dux nouus Auſtriæ quilibet ex noſtris heredibus ſuperueniens, in primo eiusdem ſui principatus ingreſſu, ab Vniuerſitate ſtudij Viennenſis ſolenniter ut decet aditus & ſusceptus, ipſam Vniuerſitatem gratanter habet recipere, affirmaturus, ſe velle ſtudium prefatum in omnibus priuilegiis & ordinacionibus predeceſſorum ſuorum tueri & fouere firmiter, atque loco & tempore oportunis & congruis, prout occurſura exegerint negocia, nouis eam honorare gracijs ac prerogatiuis, & priuilegiis ampliare. Ceterum tenore preſencium affectuoſe requirimus ſub obtentu noſtre gracie omnes & ſingulos preſentes & futuros infra noſtre dominacionis

 termi-

terminos conſtitutos, Prelatos, Abbates, Prepoſitos, Priores, & Plebanos, obligamus quoqve & aſtringimus diſtricte & firmiter, Comites. Barones & Milites, nec non Vaſſallos, Provinciales Mareſcallos, Amminiſtratores, Capitaneos, Vicedominos, Caſtellanos, Rectores, Mutarios uel Theolonearios, ceteroſque terrarum noſtrarum Preſides uel officiales. Inſuper, omnes Magiſtros Ciuium, Judices, Miniſtros, Conſules, atque Ciues omneſque alios & ſingulos, omnium terrarum, Ciuitatum, opidorum, villarum & diſtrictuum noſtrorum Incolis, cuiuscunque eminencie, condicionis aut ſtatus exiſtant, quatenus memoratas noſtras ordinaciones, conſtituciones, Mandata, & inhibiciones, in ſingulis ſuis punctis & articulis, perpetuo obſeruent exequantur, & impleant, efficaciter & expedite. Eos vero, qui auſu temerario premiſſis contraire preſumpſerint, indignacionem noſtram grauiſſimam, dinoſcimus incurriſſe, puniendos grauiter in rebus vel corpore, ſecundum quod delicti qualitas exegerit, iuxta ordinacionum continenciam preſcriptarum. In premiſſorum itaque omnium & ſingulorum teſtimonium & robur in perpetuum valiturum, Nos ſupra ſcriptus Albertus Dux Auſtrie, cuius principatum, & amminiſtracionem, cum auctoritate ſeu poteſtate plenaria, Domino auctore, feliciter poſſidemus & gerimus, preſentem paginam, ſummam priuilegiorum omnium a nobis predicto noſtro ſtudio conceſſorum hactenus continentem maioris noſtri Ducalis Sigilli appenſione, pro nobis ac Illuſtri Principe, Domino Alberto Duce Auſtrie Nato noſtro Kariſſimo, alijsque omnibus & ſingulis noſtris heredibus & ſucceſſoribus, duximus

robo-

robŏrandam. Nos quoque Leupoldus, Dei gracia, Dux & Dominus Terrarum & Principatuum predictorum, Fraterque Vterinus Sereniſſimi principis Domini Alberti Ducis preſcripti noſtri maioris in annis, attendentes, quod ex fundacione & erreccione huius Studij, nedum altiſſimo creatori honor & gloria, ſed eciam nobis & noſtris ſubditis animarum ſalus pariter, & profectus rerum & corporum poterunt multipliciter prouenire, Eidem fundacioni, certa ſuper eo cum noſtris conſiliarijs deliberacione prehabita, conſenſum ymo beneplacitum noſtrum fauorabiliter adhibentes, Ipſam pro nobis & omnibus noſtris heredibus & poſteris, cum appenſione noſtri Sigilli maioris perpetuo approbamus. Ceterum & nos Pilgrinus Dei gracia Saltzburgenſis Archiepiſcopus, apoſtolice ſedis legatus, loci Wyennenſis prehabiti Metropolitanus, Et Johannes eadem gracia Pataurenſis Epiſcopus eiusdem loci oroinarius, plantacionem eiusdem Studij multipliciter in Domino commendantes, approbamus pro nobis noſtrisque Succeſſoribus uniuerſis. Volentes, eius Magiſtris & Studentibus omnem, quam potuerimus impendere beneuolenciam, atque iuxta preſcriptorum priuilegiorum continenciam, defenſionem pro viribus procurare. In cuius & omnium preſcriptorum teſtimonium Sigilla noſtra preſentibus duximus appendenda. Deniqve & nos Burkhardus & Johannes fratres, Burgrauij Megdburgenſes Comites in Hardegg, & Heinricus Comes de Schawemberg, Item Rudolfus de Walſee, pro nunc prouincialis Marescalcus, Johannes de Lyechtenſtain de Nicolſpurch, Magiſter Curie, Marquardus de Tyernſtain Judex Curie Item Conradus Meyſſaw ſupremus Mareſcallus,

lus, Pilgrimus de Puchaim ſupremus Dapifer, Johannes de Meyſſaw Supremus Pincerna, " de Ebersdorf ſupremus Camerarius, Reynhardus de Wehingen ſupremus Magiſter Janitorum, " de Schauhenſtain ſupremus Magiſter Venatorum Item Heinricus de Rauchenſtain, Cadoldus de Ekhartzaw, Heinricus de Walſſe, Conradus de Potendorf, Seyfridus de Churingen, Eberhardus de Kapellen, Georgius de Meyſaw, Albertus Stuchſo, Johannes de Stadegg, & Johannes de Tyrnauia Magiſter Hubarum Auſtrie. Barones, Miniſteriales, Waſalli Principatus Auſtrie, profitemur preſentibus, prelibato Studio, per Sereniſſimum Principem Dominum noſtrum naturalem, Dominum Albertum Ducem Auſtrie ſupradictum tam egregie erecto, omnibusque libertatibus & privilegijs ſibi & omnibus ſuis membris ſeu Profeſſoribus conceſſis ut ſuperius deſcribitur, maturo preuio conſilio, aſſenſum noſtrum expreſſum & beniuolum acceſſiſſe, Sperantes per hoc totam noſtram patriam, erga Deum & homines in glorie titulis, exaltari. Promittimus quoque pro nobis ac noſtris heredibus & ſucceſſoribus uniuerſis, Ipſius Studij perſonas, Singulari affeccione proſequi, ac juxta premiſſas ordinaciones poſſetenus defenſare. Preſentes ſinguli Sigillorum noſtrorum appenſione in predictorum euidenciam roborantes. Nos eciam Magiſter ciuium Judex Conſules, Jurati totaque communitas Wyennenſis opidi ſupradicti, ſcientes diuinum eſſe & optimum boni communis extendere ambitum, & preſtare ſemper augendo reipublice iuuamentum, doctique probabiliter ex prehabitis, id fieri per ereccionem, & ſtabilicionem generalis litterarum Studij antedicti, Attendentes Il-

Illuſtriſſimum principem Dominum Albertum, Ducem Auſtrie ſupraſcriptum, noſtrum Dominum naturalem, Sancti Spiritus aſpirante gracia, attentum tam feruide, quod ex ipſo Studio tota patria tanquam lucerna ſapiencie extollatur, volumus ac racione cogente debere nos recognoſcimus, Vniuerſitatem ipſius Studij, ac membrorum eius quodlibet ſincero affectu proſequi defendere, & tueri, Omneſque eius, libertates, priuilegia, ordinaciones, exempciones & gracias, per jam dictum gratioſum Dominum noſtrum Ducem in preſenti littera traditas & conſcriptas, quorum noticiam nos habere preſentibus proteſtamur ſpondemus dicte Communitatis nomine pro nobis & omnibus noſtris Succeſſoribus & heredibus, promittentes, eas obſeruare inuiolabiliter cuncto tempore, nec non pro toto poſſe noſtro firmiter conſeruare. In cujus teſtimonium maius Sigillum noſtre Communitatis Wyennenſis preſentibus duximus appendendum.

DIPLOMA

Alberti III. Ducis Auſtriæ de dato 5. Octobr. 1384. quo Univerſitati conceditur poteſtas condendi Statuta.

ALbertus Dei gratia Dux Auſtrie, Styrie, Karinthie & Carniole Comes Tyrolenſis &c. Venerabilibus ſincere nobis dilectis Rectori & Vniuerſitati Magiſtrorum & Scolarium noſtri Studij Wyennenſis Salutem & ſincerum in Domino animum complacendi. Cupientes fundacionem Studij litterarum apud nos lucernam choruscancium ſtabiliri doctrinarum atque morum laudabilium in ſalutem omnibus ſemper adaugeri profectum. Intelligimus hoc ipſum minime fieri poſſe, ſine decentibus & racionabilibus Statutis & Legibus circa modum docendi & viuendi ſtudere volencium Ea propter deſideranter exhortamur, & conſulte volumus, ac mandando ordinamus, quod quidquid rite decreuerit circa preſati noſtri Studij diſpoſicionem & ordinacionem in predictis, Congregacio Doctorum, Magiſtrorum, Graduatorum Procuratorum, & aliorum diſcretorum virorum, quos ultra predictos Rector cauſa Concilij decreuerit ad congregacionem vocandos, cenſeatur nomine Uniuerſitatis factum & vigorem habere Statuti, ab omnibus de Vniuerſitate inuiolabiliter obſeruandi, ſub pena noſtre indignacionis, atque publice refectionis a noſtra Uniuerſitate talium transgreſſorum. Et Idem volumus de ſtatuendis a qualibet Facultate, cum eius Decano reſpectu Suppoſitorum cuiusuis deter-

determinate facultatis. Adicientes, ut ſingule facultates maiori ſtringantur nexu concordie, & Solidiora earum habeantur Statuta & ſtatuenda, quod Ipſa dictum Vniuerſitatis Concilium habeat approbare. Datum Wyenne Quinta die Menſis Octobris. Anno Domini Milleſimo trecenteſimo octuageſimo quarto.

STA-

STATUTA

Univerſitatis prima & generalia, quæ in Commentariis Lambecii Libro II. p. 92. cum præcedenti privilegio dd. 5. Oct. 1384. conjuncta extant; hoc ſiquidem conceſſo Univerſitas illius præfata condidit ſtatuta, atque eidem privilegio promiſſo cum ſequenti exordio ſubjunxit.

IGitur nos Cholmannus Rector dictæ Uniuerſitatis Doctores, Magiſtri, Cæterique, ut præſcribitur, tam Sanctum, & Salubre votum illuſtriſſimi Principis ac Domini noſtri, Domini Alberti tertij, Ducis Auſtriæ, Styriæ, Carinthie &c. diligenter impleri Studentes, ordinatione ejusdem providentiſſima ſic commoniti & exhortati, attendere cæpimus ſtudioſe, quomodo in omni re, ut duret & invaleſcat, præcipue aggregatione vel continuatione, unam eſſe oportet formam, ordinem & congruam partium habitudinem, ſine quibus nec decor nec valor eſt in rebus. Ideoque non poteſt politia vel quæcunque collegialis hominum Societas exlex, vel malis legibus aut conſuetudinibus ſubjecta creſcere & durare, dum ipſius mala ordinatio, & intraneos expellit, & extraneos adire prohibet. Econtra autem Communitas, optimis diſpoſita legibus & ſtatutis, proſperatur & invaleſcit, ſuos incolas fixe retinens, ac undique alliciens exteriores. Et ante omnia eſt opus firmis & certis legibus in Politijs ac congregationibus, quæ ex hominibus diverſarum Regionum, conditionum & conſuetudinem ſubſiſtunt, qualis maxime eſt quælibet Univerſitas ſtudij

dij literarum. Et rurſus in verba ſapientis intuitum dirigentes, invenimus: Quod in malevolam animam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis. Obnubilat etenim vitiorum ſqualor & caligo aciem intellectualis oculi, & luſcum reddit ſuo modo & cæcutientem, ut ſubtiliter verum diſcernere nequeat; & ſi in hoc ſtatu quoquo modo ſcientiarum apices apprehenderet, erunt ei arma ſævæ iniquitatis, & non adminicula adipiſcendæ virtutis. Ubi ergo debent eſſe generales Scholæ eruditionis ſcientialis, neceſſe eſt, ut & ibi ſit rigoroſa diſciplina moralis. Quale lucrum erit Sanctæ noſtræ Eccleſiæ ex Studio literarum, ſi plures in eo corrumpantur & excœcentur vitijs, quam illuminentur doctrinis, cum majus malum ſit unius animæ perditio finalis, quam ſit bonum infinitarum animarum ſciencialis illuſtratio? Etiam quid aliud ſunt Scholæ generales ſcientiarum ſine correctione & diſciplinis morum, quam proſtibula innocentium animarum, in quibus etſi quidem luce aliqua irradientur doctrinæ ad cognitionem veritatis, plurimi tamen tenebris deturpantur vitiorum ad perditionem ſalutis. Et certe ob hoc melius cenſetur, juvenes innocentes & puros in ſuis partibus manere neſcios, quam tales viſitare Scholas, vitijs corrumpendos. Magni utique periculi res eſt, ut juvenis, cui jam parentalis Corectionis frænum laxatur, in loco Studij literarum nullis diſciplinæ loris ſtringatur. Certum ergo ſit, quod ibi non proſperabitur, nec creſcit literarum Studium, ubi non ſunt Scholæ virtutum. Summe ergo & ante omnia neceſſaria eſt ibi oportuna ordinatio morum, ubi eſſe debet concurſus generalis Scholarium; &

quia tanti mali, ut præmittitur, participes fieri contre miſcimus, conamur, quantum nobis poſſibile eſt, morum inſtitutis & honeſtatis regulis providentes, ut, ſicut in noſtro Studio florere debet literalis eruditio, ſimul floreat in Studentibus laudabilis converſatio, & ſervetur in cunctis ordo legitimus, & ratio prævaleat æquitatis. Eapropter gravi ſolicitudine & maturo ac diuturno ratiocinationis diſputationiſque libramine prævíis, juxta ſereniſſimi Principis providum & laudabile deſiderium, Univerſitatem Wiennenſem, per eundem nuper magnifice exaltatam, curavimus diligenter pro temporis & rerum qualitate Statutis laudabilibus & ordinationibus decentibus per omnia ordinare, & rectis legibus ordinate ſub ſcripto diſponere & regulare.

STA-

STATUTA GENERALIA
Ad totam Univerſitatem & omnes Facultates ſimul pertinentia.

TITULUS I.

De his, quæ morum ſunt & Divini Cultus.

Et in primis oculum habentes ad ea, quæ morum ſunt & Divini cultus, ſtatuimus & ordinamus ſub pœna retardationis a gradu, vel excluſionis a privilegiis per certum tempus juxta arbitrium Rectoris, & quatuor Decanorum, quod quilibet Scholaris incedat in veſtimentis Clericalibus, non inciſis, non irreverenter accurtatis aut diſpoſitis, non in caligis bipertitis, non in veſtibus ſtragulatis, non in caputiis inciſis, nec cum torquetibus aut ornamentis colli more. Militum, aut amatorum indecenter; nec portent Scholares, ſine urgente cauſa Rectori & Decano ſuæ facultatis exponenda, arma aut gladios; non portentur poſt eos per eorum famulos, vel ſodales ſub pœna præmiſſa.

Item Scholares non vacent magis tabernæ, dimicaturæ, aut quinternæ, quam Phyſicæ aut Logicæ, ſeu ſuæ facultati; nec ducant publice in vico choream; & maxime ad prædicta Magiſtri & Doctores obligentur, qui dare debent Scholaribus non ſolum fluenta doctrinæ, ſed etiam exempla bonæ vitæ,

Conſequenter ſtatuimus, quod ſcholares brigoſi, luxurioſi, ebrioſi diſcipuli, noctivagi cum inſtrumentis Muſicis, vel alias otioſi lenocinantes, fures, & præcipue Civium offenſores, taxillorum luſores; ſi non deſtiterint, debite præmoniti, juxta facti qualitatem, ſalvis pœnis a jure communi pro hujuſmodi criminibus inſtitutis, ſint a Privilegiis, & ab Intitulationibus Honorum excluſi, & omnino oſtiorum fractores huic pœnæ ſubjiciantur.

Item, quod, ſi Scholaris vel Magiſter Civem vel Caſtrenſem vulneraverit, aut alias enormiter læſerit, emendet ad judicium Rectoris & duorum Decanorum, quos iſti de Conſilio oppidi Wiennenſis duxerint nominandos.

Item quod nullus Magiſtrorum unius facultatis detrahat alteri Facultati publice aut private, ſed ſit mutuus amor & favor inter quatuor Facultates & Nationes; & augmentabitur Univerſitas & proſperabitur, quæ ex odio, dividente Facultates & Nationes, diſſolveretur. Si autem aliqui diſcordiarum aut parcialitatum Autores, vel in prædictis offenſores reperti fuerint, pœnæ ſubjaceant viginti librarum, excludendi a Privilegiis Univerſitatis ad gratiam ejuſdem.

Item quod nullus præſumat ſupervenientes novos, quos Beanos vocant, indebitis exactionibus quibuscunque gravare, aut alias injuriis aut contumeliis moleſtare.

Item ſtatuimus, quod nullus Magiſtrorum detrahat alteri publice coram Scholaribus vel aliis perſonis, ſed Magiſtri ad invicem amicabiliter & caritative ſine præjudiciis converſentur.

Item

Item quod in Diſputationibus publicis ſeu collationibus ſcholaſticis non agitentur Baccalarii aut Magiſtri proterviis aut convitiis, nec in invicem immorigeratis verbis aut geſtibus ſe exprobrent & offendant.

Item, Si Contigerit aliquem de Doctoribus, Magiſtris vel licentiatis, actu legentibus, mori, aut aliquem de decanis aut Procuratoribus, quod tota Univerſitas interſit ejus exſequiis, & ante prandium die, quam Miſſa, & poſt prandium die, qua vigiliæ fuerint, non legatur. Dum vero aliquis alius in univerſitate moritur, exequias ejus Natio ſua peragat, quæ, ſi defecerit in ſuppoſitis, ſupplicet ſuppoſitis aliarum Nationum juxta honeſtatem funeris, ut interſint exequijs.

Item quod in omni feſtivitate virginis glorioſæ fiat Miſſa ſolemnis cum offertorio præſente Rectore cum tota Univerſitate. Prima fiat in feſto Purificationis in Eccleſia Sancti Stephani, ſi fieri poteſt convenienter: Secunda in Annunciatione apud fratres Prædicatores: In Aſſumptione vero apud fratres ordinis Beatæ Mariæ de Carmello, in Nativitate in Monaſterio Scotorum: in Conceptione in Capella Beatæ virginis in littore, in vigiliis eorundem feſtorum Univerſitas conveniat ſolemniter ad officium Veſperarum.

Item quod quolibet anno in commemoratione animarum fiat Miſſa in domo Prædicatorum, vel in Sancto Stephano, ſi convenienter fieri poteſt.

Item quod Facultas Theologiæ de certis Sermonibus ad Clerum Univerſitatis per annum fiendis diſponat & ordinet, quantum ad loca, perſonas, prædicaturas & dies

prout

prout magis ad Dei honorem & profectum Studii judicaverit expedire.

Item quod quilibet Decanus, ut ſimul vigeat Diſciplina & Correctio morum, ubi eſſe debet generale Studium literarum, viſitet ſemel in dimidio anno omnes domos Scholarium ſuæ Facultatis, exhortando, ut ſint ſtudioſi & in moribus compoſiti, cauentes inſolentias, & ante omnia offenſiones civium, & popularium oppidi Wienenſis, ſub pœnis ſuper talibus exceſſibus in ſtatutis Univerſitatis expreſſis.

TITULUS II.

Sequuntur Statuta Univerſitatis de Officialibus ſuis & perſonis ad eos pertinentibus.

PRimo quod non fiant conſpirationes vel partialitates Magiſtrorum, nec colluſiones aut conventiones, cum eligendus eſt aliquis ad hoc vel illud officium in Univerſitate, vel in quacunque Facultate; nec aliquis vocem ſuam vendat nec ante promittat; & qui inſtare ambitioſe, præcedente practica & colluſione, repertus fuerit, inhabilis habeatur ad Officium, pro quo occulte laborabat.

Item quod nemo ſit ſimul Decanus & Procurator, niſi defectus hoc exigat ſpecialis ſuppoſitorum.

Item quod Procuratores maneant ſolum per medium annum, habeatque quilibet Procurator in deliberationibus vocem duntaxat perſonæ ſingularis, & ſimiliter quilibet

De-

Decanus, & ipſo die electionis Rectoris præeligantur Procuratores, qui electi ſtatim intrent ad eligendum Rectorem.

Item quod quælibet Natio eligat Procuratorem de ſuis ſuppoſitis cujuscunque fuerit Facultatis. Itaque non ſemper ſint Procuratores unius Facultatis, ſed plurium, prout expedit, & procedatur in hac electione hoc modo: Prima Natio eligat de ſuis Procuratorem, qui ſit de Facultate Theologiæ: Secunda eligat unum, qui ſit de Facultate Decretiſtarum: Tertia de Facultate Medicinæ: Quarta de Facultate Artium. Et in ſequenti electione Procuratorum Secunda Natio eligat Theologum, & in hunc modum circumeat electio Procuratorum per omnes Nationes & Facultates, prout fieri poteſt. Si vero Natio debens ſecundum dictum ordinem eligere Procuratorem de facultate certa, deficiat forte in ſuppoſitis illius Facultatis, ex toto vel idoneis, eligat de alia Natione, vel eligat de ſuis unum, qui ſit de Facultate, quam habet; & alia Natio, quæ abundat in Facultate, qua iſta caret, eligat de iſta Facultate, & ita conſequenter. Si vero una Natio vel Facultas ex toto deficeret, ſuperior Natio eligat de Natione viciniori unum Procuratorem nomine Nationis deficientis, & ſimili modo fiat in defectu unius Facultatis. Itaque ſemper ſint quatuor Procuratores quatuor Nationum & quatuor Facultatum, vel ſaltem earum nomine prout convenientius fieri poteſt.

Item quilibet Procurator, noviter electus, juret in manus Procuratoris præcedentis, quod cum diligentia & fidelitate ſuum, prout in ordinationibus deſcribitur, officium exercebit.

Item

Item quod Procuratores antequam intrent conclave ad eligendum, jurent Rectori, quod nullam Facultatem ſpernant, aut alteri præponant, aut aliquam quacunque affectione excludant, ſed eligant ſecundum ſuas conſcientias unum ſuppoſitum, cujuscunque fuerit Facultatis, quod ipſis pro tunc ad Rectoriam magis idoneum videbitur, ita ordinantes, quod Rectoria non ſemper maneat in una Facultate, ſed quod alternatim tranſeat ad ſuppoſita diverſarum Facultatum, ſi reperiantur idonea, prout judicaverint expedire.

Item Officium Procuratorum ſit Congregationem ſuæ Nationis facere, & propoſita in ſua Natione proponere, & ſuper his ad deliberandum inducere, & Rectori in cauſis Univerſitatis pro ſua Natione aſſidere, & in his fideliter conſilium dare, & acta notabilia tempore ſuæ procurationis in libro Nationis ad hoc ordinato conſcribere, & conſcripta in reſignatione ſui officii coram Natione ſua recitare, atque honorem & utilitatem ſuæ Nationis ubilibet pro poſſe ſuo procurare.

Item quod in Congregationibus, Judiciis & aliis publicis actibus Univerſitatis, Decani ſedeant primi poſt Rectorem, conſequenter quatuor Procuratores ſecundum ordinem ſuarum Nationum. Similiter in actibus publicis, ut in Diſputationibus, hujusmodi Officiales ſpecialiter honorentur.

Item ne fiat negligentia in executione negotiorum Univerſitatis, Procuratores & Decani Deputati, Bedelli, Notarii, quibus Rector pro tempore & qualitate negotiorum indiget, vocati per eundem, absque dilatione compareant, per ſe vel per ſuos ſubſtitutos idoneos ſub pœna

arbi-

arbitrio Rectoris & deputatorum, qui comparuerint, reſervata.

Item quod, cum Rector aliquod Deliberatum per univerſitatem exequi habet, quælibet facultas det Deputatum vel Deputatos, prout negotium expoſcit. Prima vero facultas, ſcilicet Theologiæ, aſſignet de ſuppoſitis ſuis unum aptum, qui rem proponat, ſi non poteſt vel non habet talem, facultas Decretorum proponentem det, & ſic conſequenter. Etſi forte hoc modo proponens aptus haberi non poterit, quem Rector cum quatuor Decanis quatuor facultatum elegerit, ſit proponens ſub pœna excluſionis a Congregatione Univerſitatis per annum, vel ſuſpenſionis Regentiæ per ſex Menſes.

Item quod non ſigillentur Promotoriæ, Recommendatoriæ, Teſtimoniales Promotionum, & hujusmodi litteræ notabiles, niſi minutæ earum ſignatæ fuerint ſigillo Correctoris literarum Univerſitatis, qui ſit ordinarie legens in facultate Decretorum.

TITULUS III.

Sequuntur ſtatuta de Rectore & pertinentibus ad ipſum.

PRimum, ſi quis in Rectorem electus fuerit, & renuerit non aſſignata cauſa acceptata vel acceptabili ab Univerſitate, pœnam incurrat decem librarum.

Item Rector noviter electus juret in manus Rectoris præcedentis, quod fideliter & diligenter exercebit Officium ſuum, prout deſcriptum eſt in ſtatutis & ordinatio-

nibus Univerſitatis, quod eidem pro tunc diſtincte prælegetur.

Item Officium Rectoris ſit, congregationes facere, Articulos in congregationibus per ſe diſtincte proponere, & deliberationibus majoris partis quid agendum concludere, & concluſum juxta Conſilium Deputatorum una cum eis perſonaliter exequi, prout res exigit. Rurſum Rectoris ſit tueri & conſervare Privilegia & Statuta Univerſitatis, & juxta ipſa judicare, & ſingulorum querelas, parvi ſicut magni, pauperis ſicut divitis, absque perſonarum acceptione, aut alia quacunque pervertente judicium affectione, coram ſe admittere, & celeriter atque gratis juſtitiam facere; abuſores Privilegiorum & transgreſſores ſtatutorum per Conſilium Univerſitatis corrigere, litteras privilegiales, & teſtimoniales, & hujusmodi, magiſtris & Scholaribus, nec non ſervitoribus Univerſitatis gratis, vel juxta ordinationem Univerſitatis ſigillare. Generaliter, Rectoris ſit curam & ſollicitudinem habere de omnibus, quæ faciunt ad augmentum ſtudii & profectum Doctrinæ, ut iſta diligenter procuret, & contraria excludat.

Item quod Rector ſtudii in habitu honeſto, decenti & clericali, & cum honeſta comitiva incedat per vicos, præcedentibus Bedellis Univerſitatis cum virgulis & ſpecialiter dum agit negotia communia Univerſitatis, & tunc etiam indutus ſit habitu ſolemniori, ſecundum negotiorum qualitatem, donec Univerſitas circa ſingularem & proprium habitum Rectoris duxerit ſpecialiter ordinandum.

Item

Item quod Rector, tempore Rectoriæ ſuæ transacto, infra Menſem computum faciat de omnibus receptis & expoſitis coram Rectore novo quatuor Decanis & quatuor Procuratoribus, & aliis Regentibus, quibus intereſſe placuerit, quodque illi, qui ante hanc ordinationem Rectores fuerunt, computent prædicto modo infra menſem a tempore editionis ſeu ſanctionis huius ſtatuti, & in quo obligatus remanet, infra eundem menſem perſolvat.

Item quod Rector Congregationem facturus mittat per Bedellos in die præcedenti Articulos omnes, ſuper quibus erit Congregatio, inſcriptis, cuilibet Decano facultatum quatuor, ut ita provida deliberatio fieri poſſit.

Item quod in deliberationibus Univerſitatis Rector accedat ad ſuam facultatem, ſi deliberatio ſit ſecundum facultates, vel ad ſuam Nationem, ſi ſecundum Nationes fiat, habiturus vocem unius duntaxat ſingularis ſuppoſiti.

Item quod Congregationes fiant in locis quietis, patulis & honeſtis, ut in Monaſteriis Eccleſiis & Collegiis, ad quæ loca quilibet Rector Congregationem facturus ſe determinet, prout expedientius viſum fuerit, & honeſtius pro Univerſitate.

Item ad vitandum confuſionem in Conſilio Univerſitatis, Rector vocet ad Congregationem generalem omnes Doctores, Magiſtros, Decanos, Procuratores. Baccalarios ac actu legentes in qualibet quatuor facultatum, cum eorum Decanis, & iſta ordinatio duret, donec Magiſtri & Doctores ſufficienter multiplicentur, & ſufficiant Congregationem Univerſitatis, ut tandem fiat hic,

 velut

velut Pariſiis, ubi ſolum Doctores & Magiſtri intrant congregationem.

Item neminem ad deliberandum in Congregatione Univerſitatis Rector admittat, niſi prius ad manus ejusdem juraverit, quod fideliter ad bonum & honorem Univerſitatis deliberet, atque ſecreta, aut per Univerſitatem deliberata, celanda non revelet. Magiſtri vero, qui noviter inceperunt, aut qui aliunde ſupervenerunt, in primo introitu ad Congregationem Univerſitatis jurent immediate prædicta, & quod ſervabunt Privilegia, Libertates, Conſuetudines laudabiles, Statuta, Jura Univerſitatis ad quemcunque Statum devenerint, & quod obediant Univerſitati & Rectori in licitis & honeſtis.

Item ne fiant conventiculæ Univerſitatis & congregationes partiales in præjudicium alicujus vel aliquorum, Rector teneatur ſub pœna depoſitionis, quoties facit congregationem Univerſitatis, vocare per Bedellos omnes indifferenter pertinentes ad Congregationem Univerſitatis.

Item quod Rector non multiplicet Congregationes Univerſitatis & nunquam convocari faciat ad Congregationem per juramentum, niſi hoc habeat ex Conſilio quatuor Decanorum; nec aliquam Congregationem faciat, niſi ſuper Articulis notabilibus, conſultis de omni Congregatione facienda quatuor Procuratoribus, niſi urgens neceſſitas ad contrarium compulerit, nec in his, quæ ſtatum univerſalem Univerſitatis concernunt, quidquam præſumat aut attentet, quatuor Procuratoribus aut Decanis non conſentientibus, aut eorum majori parte, nec lectiones impediat, niſi eo modo de conſenſu eorundem habeat, aut ex deliberatione Univerſitatis.

Item

Item quod, dum Rector præeſt judicio, utatur deliberationibus quatuor Procuratorum, aliis præter Decanos, & eos, quos cauſa conſilii contigerit vocari, ad aſſidendum non admiſſis.

Conſequenter, cum forma & diſpoſitio habitus exterioris, ſit ſpeculum hominis interioris, & quaſi Character ſingularis poteſtatis, atque indicium hujus vel illius exercendæ virtutis. De habitibus exterioribus ordinamus, quod quælibet facultas ſecundum conditionem ſuam de honeſtis habitibus diſponat, in quibus exerceri debent actus ſub eadem.

Item quod quælibet facultas diſponat de horis lectionum atque actuum ſuorum modo convenientiori, quo fieri poteſt, ſine præjudicio aliarum facultatum, vel alterius facultatis.

Item quod ſolum fiat una diſputatio Magiſtralis in die in una facultate, niſi cum diſpenſatione Rectoris & Decani ejusdem facultatis, & incipiat debitis & convenientibus horis.

Item quod in diebus Dominicis & aliis feſtivitatibus non fiant actus Scholaſtici per Doctores aut Magiſtros, ut publicæ diſputationes, determinationes, repetitiones & hujusmodi.

Item quod in die Cinerum non legatur, nec a die Palmarum ſeptimanæ pœnoſæ uſque ad craſtinum Quaſimodo ordinarie legatur.

Item a die Pentecoſtes uſque ad octavam non legatur.

Item in die Sanĉti Cholmanni non legatur ordinarie; item poſt diem Sanĉti Thomæ uſque ad craſtinum Epiphaniæ non legatur ordinarie, nec diſputetur.

Item in diebus, in quibus populus hujus civitatis, communiter celebrat, non legatur ordinarie, nec in feſto Cathedræ Sanĉti Petri legatur. Similiter in feſto quatuor Doĉtorum Eccleſiæ, & in vigiliis Aſcenſionis, Penteco-ſtes, Sacramenti & omnium Sanĉtorum, & feſtorum quatuor Beatæ Mariæ Virginis poſt meridiem non legatur.

Item tempore congregationis Univerſitatis & ſermonis ad Univerſitatem non legatur ab aliquo.

Item ordinamus, quod ſtatuta Univerſitatis, concernentia diſciplinam & mores Doĉtorum, Magiſtrorum & Scholarium, ſemel in anno legantur publice, tota Univerſitate convocata, & hoc in principio magni ordinarii, qui incipit in craſtino Sanĉti Cholmanni.

TITULUS IV.

De modo deliberandi in congregatione Univerſitatis ſeorſum per quatuor Facultates.

ITem Notarius Univerſitatis juret ſe fideliter & diligenter exerciturum ſuum officium, absque extorſione illicita ad bonum & honorem Univerſitatis ac eius ſuppoſitorum.

Item Officium Pedellorum ſit quod Reĉtor injunxerit, fideliter congregationes intimare, indilate mandatis Re-

Rectoris parere, & feſta per ſcholas ordinarie legentium proclamare; Rectorem cum Virgis honeſte conducere vel ipſum omni die, ſemel ad minus, viſitare, ſi indigeat forte eorum miniſterio, & alia, prout talia in ſtudiis ge-generalibus ſunt conſulta.

Item jurent in manus Rectoris Officium prædictum, fideliter obſervare, & Secreta Univerſitatis, ſi audierint, & Magiſtrorum non revelare, atque in eiſdem, prout decet, honorem ubique impendere.


Item Librarii jurent in manus Rectoris in præſentia Univerſitatis, quod in emendis & vendendis, aut taxandis libris juſte & legaliter ſe habeant erga ſuppoſita Univerſitatis, omni dolo & fraude excluſis, ſecundum tenorem privilegiorum Univerſitatis.

Item ſtatuimus, quod modus deliberandi in Univerſitate Wiennenſi ſit iſte; videlicet, quod propoſitis, modo conſueto, articulis per Rectorem, quatuor facultates trahant ſe ad partes ſeorſum deliberaturæ, & quælibet facultas ſuam deliberationem per ejus Decanum, vel locum tenentem, referat in communi coram Rectore & aliis facultatibus recollectis, incipiendo a facultate artium; his tamen moderationibus adjectis, quod ſi in una facultate quacunque nemo fuerit, vel non comparuerit, niſi unus Doctor ſeu Magiſter & nullum aliud ſuppoſitum ejuſdem facultatis, tunc jungat ſe iſte in deliberando alteri facultati, cui placet. Idem faciat aliud vel alia ſuppoſita, quæ non repræſentant facultatem ſecundum infraſcripta; ſive duo Doctores, vel duo Licentiati, vel unus Doctor, & unus licentiatus, aut Doctor cum Decano vel Baccalario ſuæ facultatis, vel vicem Docto-

ris

ris ordinarie legentis tenens cum Baccalario vel Decano. Idem intelligimus de licentiato ad minus cum uno talium. Si vero in aliqua congregatione fuerint ſuppoſita vel ſuppoſitum, ſecundum ſtatuta Univerſitatis, vocanda, quæ non repreſentant facultatem ſecundum prædicta, illa vel illud, ſi forte aliquem articulum ſenſerint proponi manifeſte præjudicialem ſuæ facultati, habeant reclamare & Rectorem admonere de non proſequendo articulum illum vice illa, & Rector illum non concludat, donec comparaverint in illa facultate tales, qui facultatem repreſentare poſſint. Nolumus tamen ratione hujus ordinationis vel ſtatuti, quod aliquis cujuscunque conditionis exiſtat.

N: I.






LEOPOLDI DUCIS AUSTR.


COM-

N: II.



ALBERTI DUCIS AUSTR:

N: III.



LEOPOLDI DUCIS AUSTR.

A à tergo



ALBERTI III. DUCIS AUSTRIÆ.

alt: Fund: Univers: Vienn 1384.

A



F. E. Schmitner juxta Orig: delin: et ſculps: Viēnæ. 1755.

B

à tergo




LEOPOLDI DUCIS AUSTRIÆ

B



F.L. Schmitner juxta Orig: delin: et ſculpſ: Viennæ. 1753.

C



C à tergo.



Burcardi Marggraffii in Maegdburg et Com: in Hardegg.

D




D à tergo.




Ioannis Marggraffii in Maegdburg et Com: in Hardegg.

E




Rvdolphi de Walsee
Provinc: Maresch:

F




Ioannis de Liechtenstain
de Nicolsp: Mag: Curiæ.

G




Marqvardi de Tiernstain
Iudicis Curiæ.

H




Chunradi de Meyſsau
Supremi Mareschalli.

I



Pilgrini de Puechhaym
Supremi Dapiferi.

K




Ioannis de Meyſsau
Supremi Pincernæ.

L




Ioannis de Eberſtorff
Supremi Camerarij.

M




Reinhardi de Wehingen
Supremi Mag: Ianitorum.

N




N: de Kreuzpach.

O



Heinrici de Rauchenstain.

P




Cadoldi de Ekhartzau.

Q




Heinrici de Walsee.

R



Chunradi de Pottendorff.

S



Ioañ: de Tyrnav Mag: Hubar.

T



T



à tergo.

Civitatis Viennens.

AD SIGILLA.

ETſi eo ordine, quo in contextu autographi veniunt, ſubſcriptorum Ducum, Prælatorum & Baronum Auſtriæ Sigilla appenſa fuerint, quædam tamen eorum deeſſe deprehendimus, temporum injuria aut perdita, aut confracta; deſiderantur autem ſequentia: *Pilgrini Archi-Epiſcopi Salisburgenſis. Joannis Epiſcopi Patavini, Comitis de Schauemberg, Seyfridi de Chunringen, Eberhardi de Kappellen, Georgii de Meyſſau, Alberti Stuchſo, & Joannis de Stadegg.*

COMMENTARIUS PETRI LAMBECII

Sacræ Cæſ. Majeſtatis Conſiliarii, Hiſtoriographi & Bibliothecarii ſuper privilegia & ſtatuta Univerſitatis, Vindobonenſis. *Ex Lib. 2. Cap. V.*

Quæ in Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ duobus antiquis Codicibus MStis, inter codices MStos Hiſtoricos latinos 458vo. & 459no. continentur. Commentarii vero ſequens eſt initium.

INclyta Academia Vindobonenſis ſive Wiennenſis, perperam vulgo creditur primam fundationis ſuæ originem debere Imp. Friderico II. qui, cum A. M. CC. XXXVII. Ducem Auſtriæ Fridericum II. vulgari quidem cognomine *Bellicoſum*, ſed revera *Rixoſum* & *contumacem*, jure ac merito proſcripſiſſet, primariam Auſtriæ Urbem Vindobonam in ſuam & Imperii recepit ditionem, variisque prærogativis & immunitatibus inſignivit ac condecoravit; uti ex primo diplomatis exemplo videre eſt; quod Wolfgangus Lazius libri Secundi rerum Wiennenſium capiti quinto inſeruit. Manuſcriptum enim ejus exemplar, quod in Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ MStis. codicibus hiſtoricis latinis N. 410. 411. 412. 414. 418. 419. 424. 427. & 429. inter Lazianas ſchedas, ad hiſtoriam Auſtriacam pertinentes, ſumma quæſivi diligentia, nondum reperi. Quamvis igitur exh oc diplomate certo

conſtet, Urbem Vindobonam jam memorato A. 1237. aperiendæ Scholæ licentiam ab Imperatoria Majeſtate impetraſſe, verba tamen ipſa, quibus ea licentia comprehenditur, adeo obſcura & ambigua ſunt, ut non ſolum Wolfgango Lazio, ſed & Gregorio Edero, qui, cum Anno 1559. Academiæ Vindobonenſis Rector eſſet, Catalogum Rectorum, aliorumque illuſtrium ejuſdem Academiæ virorum, typis Raphaëlis Hofhalteri in 4to. primis edidit, errandi anſam præbuerint. Lazius enim ea verba ſic interpretatur, quaſi intelligenda ſint de tali aliqua ſchola, quæ ſtatim ex illo tempore cœperit habere Doctores in facultatibus prælegentes, Ederus autem ulterius progreditur, & creationem quoque Doctorum jam tunc ſimul permiſſam fuiſſe exiſtimat. Sed utrumque falſum eſſe manifeſte liquet ex diplomatibus ſummorum Pontificum Vrbani V. & Vrbani VI. quin etiam ipſe Imp. Fridericus II. pravæ iſti verborum ſuorum explicationi reclamat, dum expreſſe teſtatur, ſe non generale aliquod Studium omnium facultatum intelligi velle, ſed tale tantum, *quo rudis ætas inſtruitur parvorum, & prudentia docetur in populis*, hoc eſt, ut ego interpretor, quo humaniores tantum literæ & diſciplinæ Philoſophicæ comprehenduntur: de Theologia autem & Juriſprudentia, & Medicina altum ibi eſt ſilentium, ac multo etiam magis de creatione Doctorum in hiſce facultatibus, nec aliud ex jam citatis Imp. Friderici II. verbis colligi poteſt, quam quod electionem quidem primarii Magiſtri iſtius Scholæ ipſa Imperatoria Majeſtas ſibi reſervaverit, de cætero tamen permiſerit, ut Magiſter ille præcipuus de conſilio Virorum prudentium ejusdem Civitatis alios ſibi ſubſti-

ſubſtituere poſſet doctores ſive præceptores, qui in erudienda numeroſa juventute vicariam ſibi navarent operam. Veriſimillimum itaque mihi videtur, in ipſo authentico Imp. Friderici II. diplomate ſcriptum fuiſſe: *Poteſtatem damus plenariam Magiſtro, qui Wiennæ per Nos & Succeſſores noſtros ad Scholarum regimen adſumetur, ut alios Doctores ſubſtituat, &c.* a Lazio autem vel a quodam alio, ſeu ex ignorantia genuini ſenſus eorum verborum, ſeu ex nimio erga Academiam Vindobonenſem affectu, tanquam vetuſtatis ejus augendæ gratia gloſſema illud *in facultatibus* eſſe additum. Certe, quod ad Lazium attinet, is in editione ſæpe memorati diplomatis, & quidem in illa ipſa paragrapho, ubi de *Schola iſta Vindobonenſi* agitur, ipſe ſibi non conſtat. Nam capite quinto pag. 67. legitur: *Poteſtatem damus plenariam Magiſtro, qui Wiennæ per Nos & Principes noſtros ad Scholarum regimen adſumetur &c.* at ſequenti capite ſexto pag. 70. ubi eadem verba repetuntur rectius legitur: *per Nos & ſucceſſores noſtros.* Huc accedunt varii errores ab eodem Lazio in jam citato capite ſexto commiſſi, ex quibus apparet, quam negligens is fuerit in deſcribendis originibus inclytæ Academiæ Vindobonenſis, cujus ipſe Rector fuit & Superintendens Cæſareus. Fundationem enim ejus per Ducem Auſtriæ Rudolphum qui vulgo quartus cognominatur, falſo refert ad Annum 1366. utpote cum ex *Henrici Gundelfingenſis & Alberti de Bonſtetten* hactenus in editis Chronicis Auſtriacis, nec non ex Auguſtiſ. Bibliothecæ Cæſareæ antiquo *codice*, inter Manuſcriptos codices Hiſtoricos latinos 226. quo inter alia *Principum* quoque *Auſtriacorum obitus ab Imperat. Rudolpho*

I. uſque ad Imperat. Fridericum vulgo III. revera V. continentur certo conſtet, Ducem illum *Rudolphum* obiiſſe A. 1365. & quidem dominica proxima poſt feſtum S. Jacobi, hoc eſt die ultimo Julii. Sed ſi quis forte crediderit mendum hoc eſſe Typographicum, quomodo excuſabitur, quod idem Lazius eodem capite ſtatim ſubjungit. confirmationem Academiæ Vindobonenſis *filium Ducis Rudolphi IV. Albertum* hoc nomine *tertium*, cognomine *cum Trica*, ab *Vrbano* ſummo Pontifice Romano impetraſſe? quis enim in Hiſtoria Auſtriaca vel mediocriter verſatus ignorat, Ducem Auſtriæ *Albertum III.* cognomine *cum Trica* ſupra memorati Ducis *Rudolphi fratrem* non autem *filium* fuiſſe? Nonne etiam manifeſte hic confunduntur duo ſummi Pontifices *Vrbanus V.* & *Vrbanus VI.* quorum prior Vrbi Vindobonæ primus omnium A. 1365. generale ſtudium conceſſit tam in juris Canonici & Civilis, quam in alia qualibet licita facultate, *præterquam Theologica*; poſterior autem A. 1384. cæteris facultatibus etiam addidit *Theologicam*, quæ prius excepta fuerat. Per ſcholam igitur illam, cujus Imp. Fridericus II. in Diplomate ſuo meminit, non eſt intelligenda Academia ſive Univerſitas ſtudii generalis Vindobonenſis, *ſed Schola Eccleſia Cathedralis Sancti Stephani*, quæ in jam memoratæ Academiæ privilegiis A. 1384. promulgatis & confirmatis vocatur *antiqua Schola ad Sanctum Stephanum*, & Scholas alias minores ad S. Michaelem & in Hoſpitali ſub cura & diſpoſitione ſua habuit.

Ad Bullam Urbani V. Pont.

PRimo videlicet notandum eſt, Imperatoriam Archiducatus Auſtriæ Metropolin Vindobonam in hoc diplomate appellari *Villam*, non per contemptum, quaſi ſimplex aliquod prædium ruſticum (Vulgo ein Mayr-Hof) vel exiguum ac Vrbis nomine indignum pagum (Vulgo ein Dorf oder Flecken,) ſed potius per excellentiam, veluti *primariam Principis ſedem*, ſive ut vulgo loquuntur, *Reſidentiam*, teſtatur enim hoc ipſe Pontifex *Vrbanus V.* dum in eodem Diplomate expreſſe refert, Ducem Auſtriæ *Rudolphum* eam ab cauſam Vindobonæ potius quam in ullo alio Ducatus Auſtriæ Oppido generale Studium ſive *Academiam* fieri deſideraſſe, quod ille locus cæteris omnibus eſſet inſignior, ideoque magis ad hoc idoneus. Similiter paſſim apud mediæ ætatis Hiſtoricos latinos *Villa Regia* ſignificat non ſolum ipſam Aulam Regiam, ſed & Urbem, in qua ea commoratur; cujus rei multa extant exempla in Henrici Spelmanni, Equitis Anglo-Britanni, *Gloſſario Archaiologico*, ubi de varia ſignificatione vocis *Villa* ſatis prolixe agitur. Hinc itaque etiam nunc apud Gallos quæcunque Vrbs ſeu Civitas appellatur *une Ville*, & in Ducis Auſtriæ *Alberti III.* præfatione, privilegiis Academiæ Vindobonenſis præfixa conjunctin legitur *in Oppido ſeu Villa noſtra Wiennenſi*, hoc eſt in unſer Reſidenz-Stadt Wienn.

Secundo notandum eſt, Eccleſiam *omnium Sanctorum*, cujus in jam citato Pontificis *Vrbani V.* diplomate fit mentio, eandem eſſe, quæ vulgo nunc tantum

vocatur *S. Stephani.* Utrumque nomen conjunctim ei tribuitur in Privilegiis Academiæ a Duce Auſtriæ *Alberto* III. A. 1384. promulgatis, in quidem ſequentia leguntur: *Ordinamus, quod deinceps de octo canonicatibus & præbendis Collegii noſtræ fundationis in Eccleſia omnium Sanctorum, alias Sancti Stephani Viennenſi, proxime vacaturis* &c. Quam autem illa Eccleſia habuerit originem, quomodo, & ſub quibus Principibus creverit, & per quam varias fortunæ viciſſitudines paulatim ad præſentem magnificentiam ac Epiſcopalis Cathedræ dignitatem pervenerit, ex variis Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ antiquis & fide digniſſimis monumentis MStis poſthac commodiori loco in hiſce Commentariis proferetur in lucem, & varii a *Wolffgango Lazio* ac nonnullis aliis circa hoc Argumentum commiſſi errores ſolide refutabuntur.

Tertio notandum eſt, diploma hoc a ſummo Pontifice *Vrbano V.* datum eſſe die *decimo nono Junii* A. MCCCLXV. Electus enim is eſt in ſummum Pontificem d. XXVIII. vel ſecundum alios die *ultimo Octobris* A. MCCCLXII. coronatus autem die VI. *Novembris* ejusdem anni. Dies itaque *decimus nonus Junii* anni *tertii* Pontificatus ipſius non poteſt ad alium referri Æræ Chriſtianæ annum, quam ad ſupra memoratum *milleſimum trecenteſimum ſexageſimum quintum.* Eodem etiam anno 1365. & quidem *Dominica proxima poſt feſtum Sancti Jacobi*, h. e. *die ultimo Julii*, obiit Archidux Auſtriæ Rudolphus IV. qui fundandæ Academiæ Vindobonenſis cauſa ſupra inſertum Diploma a ſummo Pontifice *Vrbano V.* impetraverat. Teſtatur hoc Henricus *Gundelfingenſis* in hactenus inedito *Chronico Auſtriaco* his verbis.

bis: *Primus Alberti Contracti filius Rudolfus primogenitus, Eccleſiæ Wiennenſis S. Stephani præpoſituram fundans, miroque opere turris ſtructuram incipiens, ſine liberis deceſſit A. M.* CCC. *LXV. dominica proxima poſt Jacobi, ac in eadem Eccleſia ſepelitur.* Idem confirmat *Albertus de Bonſtetten* in hactenus inedita *Hiſtoria Auſtriaca* his verbis: *Rudolfus Dux Auſtriæ, filius Alberti Ducis, cognomine Contracti fundans præpoſituram Wiennenſem, Eccleſiam eandem ampliavit, & Mediolani ſine liberis A. M. CCC. LXV. obiit ejusque oſſa apud S. Stephanum Wiennæ ſepulta ſunt.* Item Anonymus Chronographus in Ms. codice hiſtorico latino N. 226. his verbis A. MCCCLXV am Sontag noch Sand Jacobs tag ſtarb der durchleuchſte fürſt Herzog Rudolff von Oſterich der vierd ze Mailand der het ein gemahel, die was Kaiſer Karl tochter des vierden, genant Katherina. Der obgenant Herzog Rudolff hat herzubracht die Graffſchafft zuo Tirol, der hat auch geſtifft den Brobſt nnd dy Chor-Herren ze Wienne zuo Sand Stephan, und hueb auch an das new Paw zu Wien zuo Sand Stephan, und iſt daſelbs pegraben. Hæc de tempore *obitus* Archiducis *Rudolphi* IV. eam ob rem de induſtria monui, ut recentiorum non nullorum autorum detegatur error, quorum alii *mortem* jam memorati Principis ad A. 1366. alii vero ad annum quidem 1365. ſed ad diem *Vigeſimum quartum Julii*, qui feſtum *S. Jacobi* proxime antecedit, falſo referunt.

An

Ad Bullam Urbani VI. Pont.

Vi cujus Facultas Theologica ante hac ab Vrbano V. nominatim excepta Academiæ Vindobonenſi quoque acceſſit.

ERrat *Gregorius Ederus* in citato Magnificorum Rectorum catalogo, dum diploma Pontificis *Vrbani VI.* refert ad annum *milleſimum trecenteſimum octogeſimum quintum.* Cum enim certo conſtet, *Urbanum VI.* electum eſſe die *ſeptimo vel octavo Aprilis* A. MCCCLXXVIII. coronatum autem die *XVIII.* ejuſdem Menſis, non poteſt Dies *vigeſimus Februarii* anni ſextiPontificatus ipſius ad alium referri Æræ chriſtianæ annum quam ad *milleſimum trecenteſimum octogeſimum quartum.* Tum primum igitur Vindobonenſis illa Academia revera cœpit eſſe Studium generale, eodemque anno M. CCC. LXXXIV. a glorioſiſſimo Auſtriæ Duce *Alberto III.* Cognomine *cum trica* non ſolum ſtatuta ejus generalia ad totam Univerſitatem & omnes facultates ſimul pertinentia, promulgata verum etiam privilegia publicata, atque ab Eodem Fratre item ſuo Duce *Leopoldo III.* cognomine *Probo* necnon a *Pilgrino* ſive *Peregrino* Archi-Epiſcopo Salzburgenſi, a Joanne Epiſcopo Patavienſi ut & a proceribus Auſtriæ ſenatuque ac communi Civitatis Vindobonenſis ſive Wiennenſis approbata & confirmata ſunt.

Cæterum quoniam Ducis Auſtriæ *Leopoldi probi* jam facta eſt mentio, non poſſum, quin obiter hic moneam cognomen *probus* non eſſe, ut vulgo perperam fit, germanice interpretandum der Fromme ſed der Ritterliche vel der Streitbahre, uti apud Italos *il prode* & apud Gallos *le preu*, quæ duo corrupta vocabula ſine dubio a lati-

a latino *probus* trahunt originem. In vocabulario Italico Academiæ Furfureæ, vulgo *della cruſca*, *il prode* idem eſt atque *il valoroſo*, in Gallicæ autem linguæ Theſauro Joannis Nicot *preu* ſignificat *chevallereux*, *vaillant & de grand effort aux armes*. Initio videlicet ex voce latina *probus* per apocopen ſive ablationem ultimæ ſyllabæ factum eſt *pro*, quemadmodum in his Boccacii verbis: *Giovanne e bello, e pro della perſona;* item in his: *Voi ſiete diuenuto un pro Cavaliere, poſciach' io non vi vidi.* Galli autem more ſuo craſſum illud O latinum mutarunt in *eu* & ex *pro* fecerunt *preu* uti ex ovum *euf* ſive *œuf*. Ex opere *euure* ſive *œuure*, ex *paucus*, quod Italis eſt *poco*, *peu*. Euphoniæ demum cauſa adjecta eſt litera *d*, & conjunctim dici cœpit *un prodhuomo* & *un preud homme*; item *preud hommie* & *prodezza*, pro quo Hiſpani, omiſſa litera *d*, dicunt *proeza*. Quo ſenſu igitur jam memoratæ voces ab Italis Hiſpanis & Gallis, uſurpantur, eodem ſignificatu apud mediæ ætatis Scriptores latinos paſſim occurrunt vocabula *probus* & *probitas*, nec aliter quoque Ducis Auſtriæ Leopoldi *probi* cognomen interpretandum eſt. Hinc enim Idem Dux ab Alberto de Bonſtetten in hactenus inedita hiſtoria Auſtriaca, tanquam per periphraſim recte appellatur *Princeps Armipotens & admodum magnanimus*. Eadem ratione explicandus eſt *probi viri* titulus in Chronico Auſtriaco Zwethalenſi, ubi de Domino de Summerawe ſive Sumerau agitur his verbis: *A. 1297. Dux Auſtriæ Albertus expulit de terris, & confinibus probum virum ac ſolennem Miniſterialem Dominum de Sumerave, confractis caſtris & deſtructis munitionibus ſuis.* Similiter etiam in Concilii Provincialis Vindobonenſis ſive Wiennenſis conſtitutionibus, quæ capiti tertio libri ſe-

cundi meorum commentariorum inſertæ ſunt, *probitas* ſignificat Heroicum aliquod factum Equeſtri ordini conveniens. Ipſa Concilii verba hæc ſunt: *Item cum in quibusdam locis iniquitas quorundam invaluerit laicorum, quod in rebus Eccleſiæ furtum reputatur ſagacitas, rapina probitas, & violentia, fortitudo &c.* Hic nempe rapina reputatur *probitas* non eſt vertendum: **die Rauberey wird gehalten für Frommigkeit**, ſed **die Rauberey wird gehalten für Ritterlichkeit, oder für eine Ritterliche That.** Perſuaſiſſimum etiam habeo, conſuetudinem hanc tribuendi *Equeſtris ordinis viris*, & quidem præcipue illis, qui præ cæteris in re militari & armorum uſu exercitatiſſimi paratiſſimique eſſent, antonomaſtice ſive per excellentiam titulum *proborum hominum* hinc potiſſimum ortam eſſe, quia inſtitutionis omnium ordinum Equeſtrium primarium fundamentum eſt probos adverſus improbos juſtis armis tueri & propugnare. Si ergo, ut ſextus Pompejus Feſtus in opere de Verborum Significationibus docet, *probus* a *probibendo* dicitur veluti *probibus*, quia is probus cenſetur, *qui ſe & alios a delinquendo prohibet*; Summo jure hic *probitatis* titulus *Equeſtri ordini*, tanquam improbitatis prohibitionem armata manu exequenti, quam maxime competit. Hucuſque Lambecius.

(o)

Huc-

Priuſquam autem ad Commentarium Rev. Patris Steyrer tranſeamus juvat quoque audire R. Patrem Reichenau e Societatis JESU in conſpectu hiſtoriæ Univerſitatis Viennenſis Anno 722. ibidem impreſſo; qui poſtquam diploma Alberti primi ducis Auſtriæ, in quantum ſcilicet rem litterariam attingit, recitaſſet: parte prima fol. 5. ita diſcurrit.

LEgat perlegatque peritus quispiam, æquusque arbiter Alberti has ipſas literas, multo ſane illis recentiores, quas a Friderico datas Lazius retulit, & nihil in illis reperiet, quod Univerſitatis ſpeciem referat, quodque conferendi Doctoratus inſignia jus poteſtatemque innuat, vel diviſos in facultates varias ſcientiarum Magiſtros probet; quod certe Princeps hic minutiora longe perſequens eo ipſo in diplomate, quo ſcholas publicas confirmat, haud intermiſſurus fuiſſe cenſendus eſt, ſi eorum privilegiorum in Urbe hac ſua Principe per ſexaginta fere jam annos ſcholarum moderatoribus jus aliquod uſusque fuiſſet. Ego ſane de tenera puerorum ætate humanioribus literis, aut ut mitius agam, Philoſophiæ quoque diſciplinis imbuenda locutum fuiſſe Albertum exiſtimo, non de ſeverioribus jurisprudentiæ, Medicinæque Artibus; multoque melius acturum fuiſſe Lazium, ſi a rerum geſtarum magnitudine potius quarum ei neque copia potuit, neque, cum Ipſe eam Rector moderatus ſit, notitia debuit deeſſe, quam ab afficta ſeculi unius antiquitate Univerſitatis hujus famam nomenque augere ſtuduiſſet.

Sed ad Commentarium R. P. Steyrer progrediamur.

Franciscus Segedinus, scol. 1525 I. 187.
Georgius de Zeged, scol. 1524 I. 186.
Dom. Gerhardus de Sigedino, scol. 1502 I. 154.
Jacobus de Zegedino, scol. 1474 I. 122.
Johannes de Zegedino, scol. 1466 I. 108.
Dom. Johannes de Sigedino, scol. 1502 I. 154.
Johannes Zegediensis, scol. 1526 I. 188.
Martinus de Zegedino, scol. 1465 I. 107.
Martinus de S., scol. 1510 I. 164.
Matheus de S., scol. 1478 I. 127.
Mathews de Zekedino, scol. 1470 II. 115.
Michael de Zeged, scol. 1524 I. 187.
Nicolaus de Zegedino, scol. 1472 I. 119; bacc. 1475 I. 75; mag. 1478 I. 44, 76.
Nicolaus de Zegedino, scol. 1513 I. 168.
Zeraphin de Zegedino, scol. 1486 II. 133.
Seraphin de Zegedino Ungar., scol. 1513 I. 168.
Stephanus de Zegedino, scol. 1453 II. 90.
Stephanus de Zegedino, nepos Dominici prepositi ecclesie Albensis, scol. 1486 II. 133.
Stephanus de Zegedino, scol. 1512 I. 167.
Stephanus de Zegedino, scol. 1512 I. 167.
Steffanus de Zegedino, scol. 1513 I. 168.
Stephanus de Zegedino, scol. 1535 II. 191.
Stephanus Zegedinus Hungar., scol. 1549 I. 202.
Thomas de Segedino, scol. 1503 I. 156.
l. *Parvi*, *Pelli*, *Benedicti*, *Pictoris*, *Feyes*, *Kerestes*, *Oswaldi*. *Schiger*, *Sos*, *Zakan* (2).

Segesd (Schaas).
Franciscus Presbyter [de] Segest, scol. 1516 I. 175.
Michael de S., scol. 1465 I. 107.

Segesvár = Schässburg.

Segveres = Szekeres.

Segeth = Segedinum.

Sey.
Joannes S. Sabariensis Hung., scol. 1600 II. 307.

Seidelius.
Andreas S. Brigensis Siles., scol. 1574 I. 302, 309.
Hieronimus S. Nissenus Siles., scol. 1588 II. 304.

Seidner.
Joannes S. Lusatius Forstensis, legum stud. 1624 II. 210.

Seyler (Seyller).
Abraham S. Siles., bacc. 1550 I. 203; art et med. doctor 1566 I. 208.

Seinreich (Seinreicher).
Rupertus S. de Sopronio, scol. 1473 I. 121; bacc. 1475 I. 75.

Seyß.
Paulus S. de Olmůncz, scol. 1475 I. 124.

Sekeresch l. *Seckeress.*

Selawitcz = Selowitz.

Seledwanus = Scheletau.

Seliger.
Georgius S. Sprottaviensis Siles., scol. 1587 II. 304.

Selisium (Szelce, Szelec).
Benedictus de Zelizio, bacc. 1455 I. 69.
Marcus de Selisio, scol. 1469 II. 113.

ad fundationem & dotationem Academiæ proceſſiſſe, unde niſi mendacii arguere Principem quis velit, dicendum erit, Pontificias has literas priori aliquo tempore ante IV. Id. Martii ſignatas fuiſſe.

Secundo ex earundem literarum tenore ſatis colligitur, illa die IV. Idus Martii *Rudolphi* diploma confectum fuiſſe, non ut ideam ſolum Gymnaſii poſterius conſtruendi, id quod fors obiici poſſet, ſed ipſam quoque erectionis ſolennitatem celebratam fuiſſe, ait enim: *Ob ſpecialem prerogativam & dignitatem Ducatus Auſtrie, & ville Noſtre Viennenſis matura deliberacione, & deligenti Conſilio previis, adhibitis etiam ſolemnitatibus verborum, operum & geſtuum conſuetis, & debitis, ad hoc oportunis, & neceſſariis -- dotavimus & errreximus rite & legitime & de certa ſcientia dotamus & erigimus publicas & privilegiatas Scholas & Studium generale in dicta villa noſtra Viennenſi --- in cujus eciam ville parochiali Eccleſia Sancti Steffani in brevi temporis ſpacio Deo auſpice in prepoſituram, ſeu collegiatam Ecleſiam ſub honore Sanctorum omnium redigenda ſepulturam noſtram elegimus.* Profecto ſolennitates verborum operum, & geſtuum, non ſcribendis diplomatibus, ſed ad rei, quæ geritur, ſplendorem & famam adhibentur, remque ipſam geſtam eſſe teſtantur. Apertius id ipſum ſignificat *Rudolphus in tabulis*, quibus in brevi temporis ſpatio, id eſt, poſt quatriduum XVII. calend. Aprilis præpoſituræ Viennenſi initium dedit: *Seid der allmechtig GOtt die Gnad auf uns gelegt hat, und uns darzu mit ſeiner parmherzigkeit erwelt hat, das Wir nun ſollen Stifften, und pawen zwo loblich und nuz Stifft der Chriſtenhait, aine mit diſer unſer Stifft, darvon er ewigklich gelobt ſoll werden; die ander Stifft mit der groſſen Stifftſchule in unſer Statt*

ze wienn, *davon ſein Chriſtenlicher glawb gemert ſoll werden*, *davon maynen Wir ſeid Wir paid Stifft gethan haben*, *das auch dieſelben zur Stifft ewigklich zu einander in ainer verpflichtung*, *und einigung bleiben ſullen*, id eſt: Siquidem DEUS nos elegit, ac excitavit, ut religionis Chriſtianæ commodo collegiatam Eccleſiam, in qua divinæ laudes jugiter cantarentur, & Academiam, qua Catholica fides promoveretur, in hac urbe fundaremus, & nos utramque fundationem modo perfecerimus, volumus, ut eædem perpetua unione ſibi conjungantur.

Aliud inſuper erecti jam Gymnaſii teſtimonium habes in verbis illis: *an unſer jartag der Schulmaiſter der groſſen Schuel mit ganzer Univerſitet der Maiſter*, *Studenten und Schueller beyſein*, *und helffen zu ſingen*, *und umzugehen in der vorgenant unſer Stifft*, *und andere ding da vollbringen*, *als Wir und die vorgenant Univerſitet daruber unſer Brief der egenant unſer Stifft geben*: id eſt: ad celebrandum diem noſtrum anniverſarium Rector, Magiſtri & Scholares omnes ad Eccleſiam convenient, ibique Canonicis in cantu, proceſſione, aliisque aſſiſtent, prout explicatur in litteris, quas nos & Univerſitas eisdem Canonicis tradidimus.

Conſtitutam igitur ante hac Univerſitatem, & ab eadem litteras quaſdam Canonicis hac die conſignatas fuiſſe, teſte fundatore manifeſtum eſt, quare cum tanta fuerit *Rudolphi* in ſedem Apoſtolicam reverentia, quantam ſupra in his ipſis literis legimus, nunquam hoc obſervantiæ Studium Principi indulſiſſet, ut inſcio, vel *nolente Urbano* Scholas aperiret, aut in patentibus literis affirmaret, ſed id agere de gratia, conceſſione, & indulto

dulto Pontificis ſpeciali, quod tamen re ipſa non obtinuiſſet, licet ardenter id poſtulaverit. Obſervantia eadem & non minus Pontificiæ auctoritatis Studium concedenda ſunt *Agapito Columnenſi*, *Urbani* ad *Rudolphum* Nuncio, reliquisque primi ordinis præſulibus, qui rei geſtæ teſtes aderant; hi pariter nunquam in animum induxiſſent ſuis quoque nominibus comprobare eam Ducis tabulam, & Academiæ erectionem, quam improbare potius debuerant, quod ea nondum habito, imo quod gravius erat, conficto pontificis aſſenſu ſuſciperetur.

Tertium, quod erroris arguit notas illas Chronologicas XIV. Cal. Julii, ſunt ipſæ Urbani literæ ſequenti Menſe die ſcilicet XIX. Julii datæ quæ habentur ſupra pag. 63. *de fructibus Beneficiorum percipiendis*.

Eodem die Urbanus gratiæ ſuæ executores datis ad eos literis aliis, Præpoſitum & Decanum Eccleſiæ omnium Sanctorum nominavit.

Ex his litteris duo conficiuntur. Primum quod ante XIX. diem Julii, qua hæ ſcriptæ ſunt, jam erecta fuerit Univerſitas Viennenſis, reſpondet enim Urbanus & gratiam, quam poſtulaverant, concedit Doctoribus, Magiſtris, & Scholaribus Studii Viennenſis, ſeu quod idem eſt, reſponſum mittit Academiæ, nec enim hæc aliud eſt, quam corpus quoddam ex Doctoribus, Magiſtris, & Scholaribus ceu membris ſub ſuo capite unitis compoſitum. Secundum neceſſario conſequitur: Erectionem Univerſitatis ante XVIII. Junii quæ prioribus *Urbani* literis ſubſcripta eſt, factam fuiſſe, eo quod temporis

poris brevitas, & menſis unius anguſtiæ nulla ratione rebus gerendis imo geſtis ſufficiant. Statuamus enim Pontificem Avenione degentem aſſenſiſſe Erectioni XVIII. Junii eademque die literas tabellario traditas, hic eas Viennam non attulit, niſi Julio inchoato, demus dein octiduum meditandæ, parandæ ac perficiendæ erectionis ſolennitati, addantur octo dies alii, intra quas e Doctoribus ac Magiſtris ſenatus Academicus conflatus ſit, & hic in locum unum congregari cœperit, ut collatis conſiliis ea proſpiceret, ac curaret, quæ ad honorem, ac commodum membrorum omnium profutura eſſent. Concedamus ultro, Senatores illos in primo ſtatim aut Secundo conſenſu obſervaſſe, quod, cum & Rector, aliique multi ordinis eſſent eccleſiaſtici, quam primum a Pontifice petenda ſit ea gratia, ne lectionibus Academicis ocupati, beneficiorum redditibus abſentes fraudentur, ita ut libellus hic ſupplex poſtremo die confectus ſit. Huic dein Avenionem perferendo concedendi ſunt alii dies duodecim, ab hinc ſi unam ſolum hebdomadam exſpectarit tabellarius, nequaquam lentum reſponſum tuliſſe dicendus eſt, imo juxta eam, quam expoſui ideam non moroſe ſed celeriter acta fuiſſent omnia, nihilominus tamen iis perficiendis apparet neceſſarios fuiſſe dies prope quinquaginta atque adeo totidem ſaltem diebus ante hanc de percipiendorum reddituum jure pontificiam epiſtolam, ſcriptum eſſe *Urbani* diploma, quo Duci *Rudolpho* erigendi Gymnaſii facultatem conceſſit, id quod in calendas Iunias incideret. Accedit tandem, quod niſi Pontificias litteras XIV. cal. Julii editas fuiſſe concedatur periculum immineat, ne *Rudolphus* fundatoris honore ſpo-

ſpolietur, qui tamen titulus ei ab omni ætate tribuitur: Nam eo caſu literæ illæ non niſi Julio inchoato Viennam allatæ ſunt, his ipſis vero Julii diebus primis *Rudolphum* aut Inſubriam attigiſſe, aut iter jam ingreſſum fuiſſe inde conſtat, quod vigeſimo ſeptimo ejuſdem menſis Mediolani obierit; unde cum Chronologia hæc, ſeu dies XIV. Cal. Julii non ſubſiſtat, notarium captum fuiſſe neceſſe eſt, & pro *XIV. Cal. Julii Pontificatus noſtri tertio* ponendum fuiſſe, vel *XIV. Cal. Januar. anno Pontificatus tertio*, vel *XIV. Cal. Julii anno Pontificatus ſecundo*, quod poſterius mihi quidem magis probatur, quod alterum diploma de creando Præpoſito ac Canonicis eodem Anno Avenione ſcriptum fuerit.

Illud præterea in literis *Rudolphi* explicandum eſſet, cur *Rudolphus* in Gymnaſio Theologicas quoque prælectiones habendas eſſe ſtatuerit, cum tamen *Urbanus* eam facultatem non conceſſerit, ſed fateor nihil a me in veterum monumentis, vel per conjecturam repertum fuiſſe, quod quæſtioni huic ſatisfaciat, uti nec alterius, cur Pontifex *Theologiam* exceperit, cauſam reddere facile eſt, niſi dicamus: Pontifices etiam alias ſolitos fuiſſe ea exceptione primam ſtudiorum generalium conceſſionem reſtringere cujus exemplum *Raynaldus Annal. Eccleſ. Tom XVI.* ad eundem annum MCCCLXIV. adfert ex literis præfati *Urbani*, dum *Caſimiro* Polonorum Regi Cracovienſem Academiam inſtituturo iisdem quibus *Rudolpho* Duci verbis reſpondit: *ordinamus, ut in dicta Civitate Cracovienſi de cetero ſit Studium generale, illudque perpetuis temporibus inibi vigeat tam Juris Canonici, & Civilis, quam alia qualibet Scientia, præterquam in Theologica Facultate.* Putat

U qui-

quidem imo aſſerit *Haſelbachius* æmulatione *Caroli IV.* Cæſaris *Urbanum* permotum fuiſſe, ut Theologiæ facultatem negaret: ita enim Hiſt. Auſt. l. 3. pag. 273. ſcribit de *Rudolpho*: *Univerſitatem Studii in Wiennenſi oppido preclariſſimo, & tocius Domus Auſtrie Capitali ab Urbano quinto miſſo Magiſtro Alberto de Saxonia poſt Halberſtadenſi Epiſcopo impetravit, qui licentiam ad legendum inibi publice Canonica, atque Civilia jura, medicinam, & ſeptem artes liberales Apoſtolica largitione conceſſit, facultatem tamen Theologie, ſibi non admiſit, agente Karolo Imperatore Socero ſuo, qui hac ratione permotus, & ne ſibi in hac parte prior videretur, Univerſitatem Studii literarum in Pragenſi civitate volens inſtituere Apoſtolica auctoritate, cum antea ſola ſua auctoritate leges, & artes inibi palam docerentur, prout hoc ex veridica relatione egregiorum virorum didici, & poſt ex aurea quadam Bulla imperiali, dum Prage deguiſſem agnovi.* Sed oppido fallitur *Haſelbachius*, ſi putet ea de cauſa conceſſioni facultatis Theologicæ in aula Pontificia obſtitiſſe Cæſarem, ne *Rudolphus* in hac parte prior videatur, cum ipſe Univerſitatem Pragæ inſtituere meditaretur, nam Pragenſis Univerſitas, & omnes quatuor, in ea facultates multo ante id eſt Anno MCCCXLVII. a *Clemente* VI. & eodem Carolo inſtituta fuit. Vide *Odoric. Rayn. Annal. Eccleſ. Tom. XIV. ad annum* MCCCXLVII. N. 11. & qui eundem allegat *Balbinum Miſcel. Dec. I.* L. 6. pag. 42. Quam vero Theologicam lectionem negavit *Urbanus* V. eam Anno MCCC LXXXIV. admiſit *Urbanus* alter hujus nominis VI.

Admodum R. P. Joſephus Reichenau e Soc. JESU in ſuo conſpectu hiſtoriæ Univerſitatis Viennenſis Viennæ 1722. edito parte I. fol. 12. ita diſſerit.

Datæ

Datæ ſunt hæ litteræ a *Rudolpho* Archi-Duce ejusque Fratribus *Alberto* & *Leopoldo*, 12. Martii Anno 1365. adeoque tribus fere menſibus citius, quam diploma *Urbani* V. de Univerſitatis hujus erectione vulgaretur. Neque mirum id alicui videri debet: nam ſcire aliunde pronum in hunc favorem Pontificis animum potuit, ac ab oratoribus ſuis de erigenda hac proxime per Apoſtolicæ ſedis authoritatem Univerſitate certior fieri. Accedit quod ex his *Rudolphi* verbis: *verum quia parum valeret generale Studium erigere, & univerſitatem hujusmodi Venerabilem colligere, &c.* haud obſcure intelligere liceat, Privilegia hæc nondum erectæ a ſe Univerſitati data, ſed antea conſcripta, fors ut viſis his prærogativis, quibus literata hæc reſpublica ornanda foret, citius Pontificis animum ad eam approbandam flecteret, neve ob iter, quod in Italiam Archi-Dux ipſe moliebatur, mora aliqua exequendæ præclaræ ſuæ voluntati injiceretur, & ut allecti ampliſſimis his privilegiis viri undique eruditiſſimi illico confluerent, ubi ſummi Eccleſiæ Antiſtitis authoritate conceſſum artium diſciplinarumque plurimarum Studium Urbi huic fuiſſe intellexerit. Et vero non deerat, jam tum hujusmodi virorum Viennam petentium copia, inter quos & *Albertus de Saxonia* fuiſſe dicitur, cujus *Haſelbachius*, qui ſeculo quarto floruit, deque Univerſitate hac noſtra ob res præclare geſtas, navatamque Principibus operam optime meritus eſt, his verbis meminit in Chronico ſuo Auſtriaco hactenus inedito: *Univerſitatem Studii* (*de Rudolpho IV.* loquitur) *in Wiennenſi oppido præclariſſimo, & totius domus Auſtriæ Capitali ab Urbano quinto miſſo Magiſtro Alberto de Saxonia:*

xonia Halberſtadenſi Epiſcopo ad legendum inibi publice Cananica atque Civilia Jura Medicinam & ſeptem artes liberales Apoſtolica largitione conceſſit. Plura majoraque incrementa, ne illo ſub Principe Univerſitas vix erecta caperet, invida fata præpediere. Nam cum hoc eodem anno Mediolanum ad Bernabonem Ducem ſe contuliſſet, ut eius filiam *Viridam* nomine juniori fratri ſuo *Leopoldo* nuptui traderet, rebus apud eundem Ducem proſpere geſtis ex æſtu nimio in febres incidit, ibidemque extinctus eſt Menſe Julio Anno ætatis ſuæ 26. uti pluribus teſtimoniis in edita a me typisque vulgata Divi Stephani Baſilica titulo 3. & ultimo oſtenſum eſt. Hucuſque R. P. Reichenau, jam rurſus P. Steyrer.

Quæ hactenus *ad diploma Friderici II. Imp. ſupra pag.* 1. *inſertum* adduxi, mihi quidem, & ut confido lectori perſvadent, Academiam Viennenſem natam eſſe anno hoc MCCCLXV. die IV. Idus Martii, ſed contradicit *Wolfgangus Lazius* qui quod libris in lucem editis notior, novemdecim annos in eodem Gymnaſio artes, ac Medicinam profeſſus, tandem quoque Scholas ſuprema poteſtate Rector moderatus ſit anno MDXLVI. præ cæteris audiendus eſt. Hic in commentario de rebus Viennenſibus poſtquam diploma *Fridertci* II. Imp. libro 2. c. v. p. 66. adduxit cap. VI. pag. 70. hoc modo commentatur:

" De cujus (Academiæ) exordiis hæc fere deprehen-
" dimus, quemadmodum, & ſuperiori capite diploma-
" tis exemplum adductum oſtendit a *Friderico II.* Impe-
" ratore, Siciliæ, Apuliæ, & Hieruſalem rege prima illius
" fundamenta jacta eſſe anno a nato Chriſto MCCXXXVII.
" cum ejusmodi, & tam amplum ludum literarium is Cæ-
" ſar

" ſar Viennæ aperuiſſet, ut in facultatibus etiam Docto-
" res haberet prælegentes, ut non ſolum Collegium Civi-
" le, quod potentiſſimis ludi ædibus conjunctum cernitur,
" ſed iſta etiam diplomatis verba ſuperius adducta de præ-
" rogativis coarguunt, quæ ſic habent: *volentes & commodo*
" *Studii provideri: per quod prudentia docetur in populis, &*
" *rudis ætas inſtruitur parvorum, poteſtatem damus plenariam,*
" *Magiſtro, qui Viennæ per nos & ſucceſſores noſtros ad Scho-*
" *larum regimen adſumetur, ut alios Doctores in facultatibus*
" *ſubſtituat de Conſilio virorum prudentium civitatis ejuſdem, qui*
" *habeantur ſufficientes, & idonei circa ſuorum ſtudium Auditorum*
" &c. Hæc ex prærogativa *Friderici* ſecundi Cæſaris, Vien-
" næ noſtræ conceſſa, ex quibus apparet prima Acade-
" miæ Viennenſis exordia a *Friderico* ſecundo Imperatore
" poſita eſſe ante annos adhuc trecentos & plures, quam
" nulla per Germaniam (Colonienſi ſolo excepto) Gym-
" naſia vetuſtatem referunt, hæc anno poſtea centeſimo
" & decimo nono aucta porro, & præmiis, & prælegen-
" tium numero locupletata, & a *D. Stephani* æde ad Ca-
" ſtrum recens ab Ottocaro Bohemiæ Rege, & Auſtriæ
" Duce conſtructum ad ipſa urbis mænia translata, in ve-
" ram Gymnaſii amplitudinem excrevere. Author fuit
" *Albertus* II. hoc nomine Auſtriæ Archi-Dux, quem ab
" eventu contractum nominant. Is novum auſpicatus Gym-
" naſium in foro, quod hodie porcorum vocant, & in vi-
" cina templi Auguſtinianorum ſub annum ſalutis noſtræ
" MCCCLVI. doctiſſimos ex Lutecia Pariſiorum theo-
" logos in hujus rei felix auſpicium accerſivit *Henricum* ab
" Haſſia & quemdam a *Dunkbles-Stuebl*, collegio conſtitu-

 "to

„ to (ut ex annalibus deprehenſum) his in ædibus „ quas hodie Schaumburgenſes Comites, poſſident. Extant adhuc hodie multorum Theologorum, & Juris conſultorum in proximo Auguſtinianorum cænobio Sarcophagi, eodem tempore iſthic, cum primum a fundamento ſurgeret, ſepultorum, quæ res annalibus ſubſcribit. Atque hoc in loco, cum vix decennium Gymnaſium conſtitutum augmentum paulatim, ac vires concepiſſet, Doctis in dies magis magisque Viennam confluentibus, tandem ſub annum ſalutis noſtræ MCCCL XVI. *Rudolphus* hoc nomine quartus Archi-Dux Auſtrie eo ipſo tempore, quo magnificam turrem, ac aliquot ampliſſimas Teſtudines parochiali omnium Sanctorum templo cum cathedrali præpoſitura adjeciſſet, magnam rem animo agitans, & locum ſimul Gymnaſii, & prœmia Profeſſorum mutavit. Nam cum illud e caſtri & Auguſtinianorum templo ad templariorum relictas ædes, hoc eſt ab occidentali Urbis plaga ad orientalem transpoſuiſſet, ad locum videlicet, & quiete, & ſalubritate ſtudiis, ac muſis commodiorem, annuum præterea cenſum, unde profeſſoribus præmia diſtribuerentur, ex omnium Auſtriæ locorum maximo telonio, in Ipſo (Ipſa) municipio, ex innata Principis liberalitate adjecit, & omnium totius Germaniæ, Gymnaſiorum Viennæ ampliſſimum frequentiſſimumque perfecit, cujus confirmationem filius poſtea *Albertus* hoc nomine tertius cognomento *cum Trica* ab *Urbano* Romano Pontifice ſummo impetravit a Chriſto nato MCCCLXXXIIII.
Hæc *Lazius*, quem *Georgius Ederus* decimum geſto eodem ſupremo Magiſtratu Academico Clariſſimus *Lazii* ſuc-

ſucceſſor, ceu virum laudat, quo Academia hæc nihil habuerit celebrius unquam. Quare non mirandum, quod in ejusdem ſententiam de Academiæ vetustate, & ipſe iverit in libro, quem de Rectoribus & viris illuſtribus ejuſdem Univerſitatis Anno MDLIX. typis vulgavit, ita enim auſpicatur pag. I. „ Initia celeberrimæ hujus & „ antiquiſſimæ Academiæ jacta ſunt a *Friderico* II. Cæſa„ re Germano Anno 1237.--- qui autem ab eo tempore „ Rectores, aut quæ illorum fuerit Succeſſio ob annales, „ aut tum temporis neglectos, aut per bellorum graviſ„ ſimarumque mutationum frequentiam amiſſos, in ſpe„ cie quidem omnes enumerare non poſſumus, id tamen „ certum eſſe conſtat: hanc Scholam annis 128. conti„ nuis in maximo fuiſſe flore, atque Doctiſſimis ſemper „ abundaſſe viris, qui ut recte ex hujus Imperatoris *Fri„ derici* II. diplomate quodam vir ſumæ eruditionis, & „ maximi nominis *Wolfgangus Lazius* Medicinæ Doctor, „ & Profeſſor, Cæſareus Conſiliarius, & Hiſtoricus innue„ re videtur, plenam jam tum habuerint poteſtatem in „ omni artium genere creandi Doctores, tempore autem „ *Caroli* IV. (Anno 1365.) Auguſtiſſimi Principes & „ Duces Auſtriæ, *Rudolphus* IV. *Albertus* III. & *Leopol„ dus* II. fratres ex *Alberto* II. Germani ex ſingulari bo„ narum literarum amore Scholam hanc antiquiſſimam, „ ut illis domeſtica eſſet, atque intima & quo ſecurius „ boni viri Philoſophiæ ſtudio incumbere poſsent ad ſu„ premam hujus urbis curiam in ſuam quaſi familiam „ transtulerunt, atque ex ea de novo publicum hoc, & „ Auguſtiſſimum inſtituerunt Gymnaſium, tum eciam, „ ut nihil, quod ad ſolidam pertinet rempublicam, de-

„ eſſet,

„ eſſet, vocati ſunt ex antiquiſſimis & probatiſſimis Scho-
„ lis viri aliquot eruditione, & prudentia clariſſimi, at-
„ que penes hos omnem tum Academiæ hujus authori-
„ tatem & arbitrium per annos pene duodecim poſitum
„ fuiſſe, id vel ex eo conijcere licet, quod ante annum
„ 1377. ex annalibus noſtris nemo hactenus ſit repertus,
„ qui ſibi nomen hoc Rectoris ſolus uſurpaſſet. Circa
„ hunc annum (1365.) dicitur obiiſſe Illuſtriſſimus Au-
„ ſtriæ Dux *Rudolphus* IV. primus hujus Academiæ fun-
„ dator. Hic *Rudolphus* IV. conſtituit, ut præpoſitus Ec-
„ cleſiæ Viennenſis etiam eſſet Cancellarius Univerſitatis,
„ primus igitur Præpoſitus & ſimul Univerſitatis Can-
„ cellarius fuit *Wernherus*. Hactenus *Ederus*.

Revereor Principes hos Academicos, & Gymnaſio illam, quam ab antiquitate petunt, laudem liberaliter attribuendam cenſeo, non tamen fictam, id eſt maiorem, quam quæ annalium, aut monumentorum teſtimonio comprobari poſſit, aut ſaltem iis non repugnet. *Latium* ſcripſiſſe multa, lapſum ſæpiſſime notarunt alii quoties hic & in aliis narrationis hujus capitibus, a vero aberraverit, ideo obſervandum putavi, ut inde concludi poſſit, quantum ejus judicio deferendum ſit, de primario quæſtionis Capite, ſeu antiquitate Univerſitatis.

Pronuntiat primo *Albertum II. novas ædes pro Scholis deſignaſſe prope Palatium ducale in vicinia templi Auguſtinianorum, ibique multos e primis doctoribus ſepultos.* Erat omnino hæc prima literarum ſedes prope palatium, ſed ad latus ejus occidentale verſus Scotorum portam non ad orientem ſeu in foro porcario. Nec juxta Auguſtinianorum P. P. Ædes, ſed circum Cænobium P. P. Minorum conven

ventualium *D. Franciſci*, ut in *Rudolphi* diplomate hæc deſcripta jam legimus. Quod multi Theologi ac Juris conſulti eo tempore, cum primum a fundamentis ſurgeret nova Academia, defuncti, & in vicino P. P. Auguſtinianorum templo ſepulti ſint, quorum tumulos Lazius viderit, miror; quæ enim lues Academicos invaſit, ut intra decennium, quo, ut refert, Scholæ ibidem ſtetere, tot Sacrarum literarum, ac legum Doctores mortui deprehendantur. *Henricus Langenſtein* vulgo de Haſſia, & quem pro *Nicolao Dunkelſpuchlano* nominare debuerat, *Henricus de Oyta*, inter primos evocati quadraginta annis ſuperſtites fuere, ut liber I. Actor. facultatis Philoſoph. Cod. MS. Chartaceus Autographus Anno MCCCLXXXV. inchoatus teſtatur fol. 77. ad annum MCCCXCVII. Decano facultatis ejuſdem *Leonardo de Dorffen. Item in Dominica Reminiſcere* (erat XV. Cal. Aprilis.) *convocata fuit facultas ſuper iſtis articulis. Primus: ad videndum, an ſint peragende exequie, Magiſtro noſtro Henrico de Haſſia pie memorie defuncto - - & concluſum fuit, quod in dominica oculi de veſpere decantande pro eodem eſſent Vigilie, & de mane miſſa defunctorum.* Iterum fol. 7. ad eundem annum: *Nicolao de Dunkelſpuchel* Decano. *Item 20. die Maij facta fuit congregatio facultatis artium per juramentum ſuper ſubſcriptis articulis, primus: ad deliberandum, an expediat facultatem peragere exequias Magiſtri Hainrici de Oyta felicis recordacionis, & ſi placuerit, ad cogitandum ſimul de loco, & modo, & placuit facultati, quod peragerentur ad prædicatores ſimili forma, ſicut pro Magiſtro Henrico de Haſſia.* Qui ergo fuere illi, & quidem multi eodem tempore defuncti. Sed concedamus. Tumuli mortuorum intra regulares eccleſias nequaquam indicio

ſunt, eos vivos viciniam incoluiſſe, novimus enim plerumque privata devotione, aut affectu quoſdam induci, ut iis locis, relicta parochiali eccleſia deponi cupiant.

Pronunciat ſecundo, *ab Alberto Anno MCCCLVI. evocatos Theologiam Profeſſuros ex lutetia Parhiſiorum Henricum ab Hoſtia & Nicolaum de Dunkelſpubel.* Si jam his annis Theologia prælegebatur, ut quid ejus facultatem petiit *Rudolphus*, negavit *Urbanus* V. Anno MCCCLXIV. Cur iterum pro ea impetranda laboravit *Albertus* III. & tandem conceſſit *Urbanus* VI. Anno MCCCLXXXIV. quo ipſo etiam tempore *Henricus Langenſtain Haſſus* & *Henricus de Oyta* eam quidem Cathedram rexere. Verum hos non ab *Alberto* II. patre ſed filio *Alberto* viginti aliquot annis ſerius evocatos eſſe teſtatur vicinus Scriptor *Haſelbach.* in MS. hiſt. Auſtr. lib. 3. pag. 288. *Conſiderans* (*Albertus* III.) *pro fundatione Univerſitatis ſummi acceſſiſſe conſenſum Pontificis, ſed fratrem ſuum morte preventum ipſam ad plenum non ordinaſſe miſſis nunciis ad Reverendos Magiſtros Hainricum de Haſſia & Hainricum de Ottha* (Oyta) *ſacre pagine profeſſores, & Andream de Kalker nec non plures Magiſtros in artibus Doctores Juris, Legum & Medicine, eos accerſiri fecit, & congrua unicuique ſecundum ſuam profeſſionem Stipendia ordinavit. Nicolaus* vero *Dinkelspuchel* multo ſerius Cathedram Theologicam conſcendit, cum anno primum MCCCLXXIX. Philoſophicæ facultati aggregatus ſit, ut habetur cit. lib. 1. Actor. ejusdem facultatis fol. 25. Mutat quidem *Lazius* opinionem ſuam & quos Doctores ante lib. II. pag. 70. a patre *Alberto* accerſitos dixit, ejuſdem operis de Reb. Vienn. lib. III. pag. 100. a filio evocatos narrat. *Gymnaſium Wiennenſe a patre priſtinæ dignitati reſtitutum*

ita

ita extulit, ut maximis non per Germaniam modo ſed Italiæ quoque ſimile eſſet Academiis, Henrico ab Haſſia, & quodam a Dunkblsbuchel magnis promiſſis e Lutecia Pariſiorum Wiennam accerſitis. Sed nec hac inconſtantia verum aſſequitur ſcriptor.

Pronuntiat tertio. *Scholas per Rudolphum Ducem Anno* MCCCLXVI. *ab Auguſtinianorum templo ad templariorum relictas ædes, hoc eſt a meridionali urbis plaga ad Orientalem tranſpoſitas fuiſſe.* Si Typographi non ſit error, eſt *Lazii*, qui *Rudolphum* hoc anno vivis annumerat, quem anno priori Mediolani defunctum eſſe conſtat, ſi dein Ducis literas, ut potuit, inſpexiſſet hiſtoricus, legiſſet ſane Gymnaſii locum ab eo deſignatum fuiſſe in occidentali Urbis plaga, quæ a palatio ad Scotorum portam extenditur, & cœnobium ac Eccleſiam ad S. Crucem ſuo ambitu concludit. Hinc vero ad orientalem urbis plagam migraſſe poſt *Rudolphi* obitum Anno MCCCLXXXIV. liberalitate *Alberti* III. id quod in ejusdem pariter *Alberti* literis obſervare poterat, ita enim Dux loquitur: *Univerſitati Studii noſtri preſenti anno videlicet Nativitate Domini Milleſimo trecenteſimo octogeſimo quarto de ſpeciali liberalitate domum circa clauſtrum fratrum prædicatorum ſituatam proprio noſtro precio per nos comparatam & ſolutam, atque in Collegium certis dotatum redditibus redactam deputamus, aſſignamus &c.*

Pronuntiat quarto. *Cujus* (Academiæ) *confirmationem filius poſtea Albertus hoc nomine tertius cognomento cum trica Urbano Romano Pontifice ſummo impetravit, Rudolphi & Catharinæ* conjugium ſterile fuiſſe ipſe fatetur *Lazius* in eodem opere lib. 3. cap. 2. pag. 101. non igitur *Rudolphi* filius

lius fuit *Albertus*, ſed frater, nec hic ab *Urbano* VI. Gymnaſii confirmationem, ſed ut cæteris facultatibus etiam Theologica adjiceretur, impetravit. vide *Urbani* bullam apud Lambec. cit. lib. 2. cap. 5. pag. 88. & ſeq. autographum aſſervatur in tab. Academ.

Patet ex his *Lazium* ad commentarios ſuos colligendos monumentis publicis uſum non fuiſſe ſed quæ audierit, vel obviis in ſcriptoribus legerit, nullo Principum, aut temporum diſcrimine facto edidiſſe. Examinandum nunc, an ſaltem ejus de Academiæ antiquitate judicium veroſimile ſit.

Pronuntiat igitur quinto. Prima iſtius fundamenta jacta eſſe a *Friderico* II. Cæſ. Anno MCCXXXVII. & jam tunc in ea fuiſſe Doctores in facultatibus prælegentes, qui, ut Ederus arguit, poteſtatem habuerint in omni artium genere creandi Doctores, fuiſſe ſcholam in maximo ſemper flore, atque doctiſſimis ſemper viris abundaſſe *Lazii* aſſertio innititur Cæſarei diplomatis verbis illis: *volentes & commodo Studio provideri, per quod prudentia docetur in populis, & rudis ætas inſtruitur parvorum poteſtatem damus plenariam Magiſtro qui Wienne per nos & Principes noſtros* (cap. 6. legit: *ſucceſſores noſtros*) *ad Scholarum regimen adſumetur, ut alios Doctores in facultatibus ſubſtituat de conſilio virorum prudentium Civitatis ejusdem, qui habentur ſufficientes & idonei circa ſuorum Studium auditorum.* Nolo hic de diplomatis fide litem movere, licet nonnulla occurrant; quæ eam dubiam faciunt, aut incurio ſaltem Calamo deſcriptum exemplum indicent, concedo *Lazio* Imperialis tabulæ authoritatem, & ſi hac ſola teſte licuit *Lazio* aſſerere:

rere: *Fridericum* II. Imperatorem eſſe fundatorem Academiæ Viennenſis, dicam ego *Rudolphum* I. ex Habſpurgicis Cæſarem Academiæ Viennenſis prima fundamenta poſuiſſe anno MCCLXXVIII. VIII. Cal. Julii, nam in diplomate tunc edito iisdem verbis, eademque poteſtate de Scholis Viennenſibus. §. VII. loquitur, ac pronunciat, quibus *Fridericus* uſus eſt: audiamus.

DE STUDIO CLERICORUM.

Volumus etiam commode Studio ſtudentium provideri, per quod prudentia docetur in populis, & rudis etas inſtruitur puerorum, poteſtatem damus plenariam Magiſtro, qui Wienne per nos, vel ſucceſſores noſtros ad Scholarum regimen aſſumetur, (ut) *alios ſibi Doctores in facultatibus ſubſtituat, & de Conſilio prudentum Virorum Civitatis ejuſdem ſi habeantur ſufficientes & ydonei, circa ſuorum Studium Auditorum.*

Quid ſimilius his *Friderici*, & *Rudolphi* verbis? par inſuper fuit utriuſque poteſtas, & par urbis Wiennenſis erga utrumque ſubjectio. Quæro nunc, an non æque mihi liceret hoc fundatoris titulo ornare *Rudolphum*, ubi ſemel quaſi certum admiſſum fuerit, verbis illis ſolis, novæ Academiæ fundationem innui, & explicari? Sed videamus, quam ſolide ibidem aſſertionis fundamentum poſuerit *Lazius*, qua in re antequam meam opinionem proferam, *Lambecium* de eodem argumento differentem L. II. C. 5. pag. 82. exhibeo. *Manuſcriptum* (diplomatis) *exemplar, inquit ille, quod in Auguſtiſſima Bibliotheca Cæſarea MStis Codicibus hiſtoricis latinis -- inter Lazianas ſchedas ad hiſtoriam Auſtriacam pertinentes ſumma quæſivi diligentia, nondum*

re-

reperi. Quamvis igitur ex hoc diplomate certo conſtet, Urbem Vindobonam jam memorato Anno 1237. aperiendæ Scholæ licentiam ab Imperatoria Majeſtate impetraſſe, verba tamen ipſa, quibus ea licentia comprehenditur, adeo obſcura, & ambigua ſunt, ut non ſolum Wolffgango Lazio, ſed & Georgio Edero -- errandi anſam præbuerint. Lazius enim ea verba ſic interpretatur: quaſi intelligenda ſint de tali aliqua Schola, quæ ſtatim ex illo tempore cœperit habere Doctores in facultatibus prælegentes, Ederus autem ulterius progreditur, & creationem quoque Doctorum jam tunc ſimul permiſſam fuiſſe exiſtimat. Sed utrumque falſum eſſe manifeſte liquet ex diplomatibus ſummorum Pontificum Urbani V. & Urbani VI. quin etiam ipſe Imperator Fridericus II. pravæ iſti verborum ſuorum explicationi reclamat, dum expreſſe teſtatur, ſe non generale aliquod Studium omnium facultatum intelligi velle, ſed tale tantum, quo rudis ætas inſtruitur parvorum & prudentia docetur in populis, hoc eſt, ut ego interpretor, quo humaniores tantum literæ & diſciplinæ Philoſophicæ comprehendebantur. De Theologia autem, & Jurisprudentia, & Medicina altum ibi eſt ſilentium, ac multo etiam magis de creatione Doctorum in hiſce facultatibus, nec aliud ex jam citatis Imp. Friderici II. verbis colligi poteſt, quam quod electionem quidem primarii Magiſtri iſtius Scholæ ipſa Imperatoria Majeſtas ſibi reſervaverit, de cætero tamen permiſerit, ut Magiſter ille præcipuus de Conſilio virorum prudentium ejusdem civitatis alios ſibi ſubſtituere poſſet Doctores ſive præceptores, qui in erudienda numeroſa juventute vicariam ſibi navarent operam. Veriſimillimum itaque mihi videtur in ipſo authentico Imp. Friderici II. diplomate ſcriptum fuiſſe. Poteſtatem damus plenariam Magiſtro, qui Wiennæ per nos, & Succeſſores noſtros ad Scholarum regimen adſumetur, ut alios Doctores ſubſtituat a Lazio autem vel quodam alio ſeu ex

igno-

ignorantia genuini ſenſus eorum verborum, ſeu nimio erga Academiam Vindobonenſem affectu tanquam ejuſdem vetuſtatis augendæ gratia Gloſſema illud, in facultatibus eſſe additum.

Negat igitur Lambecius ante tempora Urbani utriusque fuiſſe Academiam, ſeu ejuſmodi collegium litterarum, in quo legitima Pontificis, & Principis auctoritate omnes quatuor facultates Theologia Videlicet, Jurisprudentia, Medicina, & Philoſophia tradebantur publice, & ſecundum eruditionis profectum ac diverſitatem tituli quoque, ac dignitates graduum Scholaſticorum ab ipſis Scholarum præſidibus conferebantur. Et hoc quidem indubitatum ac certiſſimum eſſe imprimis commonſtrant literæ Pontificiæ, ac Ducales, ex illis hic ea repeto, quæ quæſtioni potiſſimum conveniunt.

Cum itaque, ſicut nuper pro parte dilecti filii nobilis viri Rudolphi ducis Auſtrie fuit propoſitum in Conſiſtorio coram nobis ipſe Dux non ſolum ad utilitatem & proſperitatem hujusmodi reipublice & incolarum Ducatus ſui Auſtrie, ſed etiam aliarum partium vicinarum laudabiliter intendens, in villa ſua Viennenſi Patavienſis Diœceſis in Ducatu predicto conſiſtente tanquam inſigniori, & magis ad hoc accomoda & ydonea plurimum deſideret fieri, & ordinari per ſedem Apoſtolicam Studium generale in qualibet licita facultate &c. & infra: hiis igitur omnibus & præſertim ydoneitate dicte ville - - diligenti examinacione penſatis - - dicti Ducis in hac parte ſupplicationibus inclinati de fratrum noſtrorum Conſilio, auctoritate Apoſtolica ſtatuimus, & etiam ordinamus, ut in dicta villa de cetero ſit Studium generale, &c. ita Urbanus V.

Matura deliberatione, & diligenti Conſilio previis adhibitis etiam ſolemnitatibus verborum, operum & geſtuum conſuetis & debitis ad hoc oportunis & neceſſariis - - de gracia conceſſione & indul-

indulto ſpecialibus ſanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri Domini Urbani V. -- noſtro ac noſtrorum heredum ac poſterorum omnium in perpetuum nomine dotavimus, & ereximus rite & legitime, & de certa Scientia dotamus, erigimus publicas, & privilegiatas Scholas, & Studium generale in dicta villa noſtra Wiennenſi &c.

Item: *Dignum cenſentes, & debitum, ut quemadmodum Magiſtri & Studentes ſingularum Univerſitatum per totum orbis ambitum ſingularis prerogative privilegiis & excepte libertatis juribus dignificati dinoſcuntur, -- ita conſimiliter dicta Univerſitas, & Studium cujus fundatores, & auctores ſumus præcipui, prænotatis & ſubnotatis privilegiis libertatibus, & juribus fruantur, & gaudeant, &c.* ita Rudolphus in literis fundationis eod. Ann. IV. Id. Martii, & *Albertus III.* in diplomate Anno MCCCLXXXIV. quod exhibet citat. Lambec. pag. 104.

Ex debito paſtoralis officii -- noſtrum conſenſum expreſſum, ac benivolum ex certa ſcientia adhibuimus, & adhibemus præſentibus pro nobis & noſtris ſucceſſoribus univerſis, quod privilegiatum & generale Studium in villa Viennenſi noſtre diœceſis erigatur. Ita Albertus Epiſc. Patavienſ. eod. Anno Nonis Martii. *Cum autem ſicut exhibita nobis nuper pro parte dilecti filii Nobilis Alberti Ducis Auſtrie Germani Dicti, Rudolfi Ducis peticio continebat poſt Statutum, & ordinationem hujusmodi ipſius prædeceſſoris Studium generale in prædictis facultatibus in eadem villa introductum per Dei gratiam felicibus Succeſſibus usque ad moderna tempora ſemper de bona in melius perſeverans multipliciter auctum ſit* &c. ita Urbanus VI. Anno 1384. in bulla qua conceſſit erigi facultatem Theologicam. Extat Autographa in tabular. Academ. Exemplum vide apud Lambecium cit. Lib. 2. cap. 5. p. 88.

Tanta ſunt, tamque ampla hæc teſtimonia, ut infirma videantur quæcunque addideris. Academiam erigi petit *Rudolphus*; idoneitatem loci explorat *Urbanus* prior, ea examinata conſentit, ut ſit de cætero Studium generale, conſentit Pataviensis, ut erigatur; Erectam a ſe fatetur *Rudolphus*, ſeque fundatorem & auctorem præcipuum nominat. Ab *Urbano* prædeceſſore, & *Rudolpho* introductum Studium generale, & deinceps multipliciter auctum profitetur *Urbanus* poſterior, dum Theologiæ hactenus deſideratam facultatem admittit, hæcne vere ac ſerio agi, dici, ſeu ſcribi poterant a Pontificibus, ac Principibus, ſi ante id tempus Academia ſeu Studium generale Viennæ ſtetit, quod continuis 119. (ut *Lazius*) aut 128. (ut *Ederus* annis in maximo flore fuit, doctiſſimis ſemper abundavit viris, & plenam habuit poteſtatem in omnium artium genere creandi doctores. Adeone ambitioſus, & iniquus *Friderico* Cæſari ac *Alberto* patri filius Rudolphus, ut illuſtre fundatoris nomen iiſdem ereptum ſibi arrogare auſus ſit eo tempore, quo rei geſtæ teſtes, aut contradictores metuere debeat prope omnes Viennæ incolas.

Deprehendiſſe ſe ait *Lazius* hæc exordia in annalibus, ſed a quo ſcripti, ubi lateant, utinam indicare potuiſſet. Nullum de ea re monumentum in tabulariis publicis Cæſareo imprimis, ordinum provinciæ, Academico, & Urbis hujus, ad quæ mihi acceſſus patuit, imo nec veſtigium occurrit etiam poſt longam inquiſitionem, quare non miror, *Ederum* etiam invitum fateri ſe ignorare, qui ab Anno MCCXXXVII. Rectores fuerint, aut quæ eorum ſucceſſio, ſe ob annales, vel neglectos, vel amiſſos in ſpecie omnes enumerare non poſſe. Utinam vel unius

 al-

alteriusve nomen indicaſſet, & tamen licet annales nullos repererit, certum illi eſt, maxime olim floruiſſe Academiam, & viris abundaſſe præſtantiſſimis; Quod ſi ita ſit, cur ergo pag. 3. adjicit *Anno MCCCLXV. vocatos huc ex antiquiſſimis & probatiſſimis Scholis viros aliquot eruditione & prudentia Clariſſimos.* Quæ ſane evocatio abundantiæ prius aſſertæ non convenit. Sed nec ſibi conſtat *Ederus*, poſtquam pag. 1. dixiſſet: *Initia celeberrimæ hujus & antiquiſſimæ Academiæ jacta ſunt a Friderico II. Cæſare* pag. 3. ſubjungit: *circa hunc annum MCCCLXV. dicitur abiiſſe illuſtriſſimus Auſtriæ Dux Rudolphus IV. primus hujus Academiæ Fundator.* Qui tamen Edero teſte aliud ſibi non comparavit meritum, quam quod Scholam hanc ad ſupremam Urbis curiam, ſeu palatium transtulerit; quamvis & in hoc lapſus ſit vir clariſſimus, quam enim Scholam reperit, *Rudolphus* eam inter veteres parietes quietam dimiſit. Erat hæc prope eccleſiam Divi *Stephani* olim erecta, & poſt introductum in Urbem a *Rudolpho* novum omnium literarum Gymnaſium Schola antiqua dici cœpit. De hac *Albertus* Dux in literis Anno MCCCLXXXIV. apud Lambec. cit. p. 115. ſic loquitur: *Amplius quoque in antiquis Scholis ad Sanctum Stephanum artes liberales etiam publice legi ſtatuimus per quatuor precipue Magiſtros artium alios a predictis, eorum denique unum ibi eſſe Rectorem puerorum ipſos etiam quatuor Sallariari perpetuo per oppidanos, ac communitatem dictæ noſtræ villæ Wiennenſis, ſic videlicet; quod illi, qui Rector puerorum fuerit, annuatim triginta duæ libræ præter accidentia Chori S. Stephani reliquis vero tribus ſingulis ſedecim libræ denariorum Wiennenſium perſolvantur. Præterea idem Rector Scholarum S. Stephani gaudeat nihilominus juribus, & conſuetudini-*

bus

bus præſentandi aut conſtituendi Rectorem Scholarium ad S. Michaëlem, & in Hoſpitali, nec non & quibuscumque aliis, eo modo, quo alias id fieri conſuetum dummodo paci, & honori Univerſitatis non derogent prælibatæ. Idem quoque Rector, nec non aliorumque (in Authographo tabularii Academici legitur: *aliorum quoque*) *Scholarium Grammaticalium regentes, & Scholares omnes, & ſinguli, qui de Univerſitatis gremio eſſe voluerint, juxta modum infra tactum regiſtro inſcribi teneantur, & ita noſtris gaudeant libertatibus, & privilegiis hic deſcriptis.*

Conſtat hinc ad D. Stephanum non Ortographiæ ſolum, & Arithmeticæ ut noſtra ætate, ſed veram artium liberalium Scholam, ſeu ludum fuiſſe, quid vero hoc artium nomine intelligatur, ſatis indicant Statuta facultatis artium Viennæ condita Anno MCCCLXXXVIII. ubi titulo VII. *de promovendis ad gradum bacalariatus. Item talis debet audiviſſe ubicunque complete & ſine dolo libros infra ſcriptos: Primam & ſecundam partem doctrinalis, ſecundam partem Græciſmi unum librum in Rhetorica item in Scholis publicis alicujus Univerſitatis, in qua pro tunc fuerint ad minus tres Magiſtri artium regentes debet audiviſſe ſummulas Petri Hiſpani, ſuppoſitiones ampliationes, & appellationes, obligationes, inſolubilia, & conſequentias, veterem artem, priorum & poſteriorum Elenchorum Phyſicorum de anima, Spheram, Algariſmum, primum librum Euclidis, alios libros æquivalentes.*

Titulo vero XIV. *de Baccalariis præſentandis ad licentiam: Et ultra illos etiam audiviſſe debet in aliquibus Scholis publicis alicujus Univerſitatis, in qua pro tunc ad minus fuerint tres Magiſtri regentes in artibus libros infra ſcriptos: de generatione & corruptione, Meteororum, parva naturalia communiter legi conſueta, Theoricas planetarum, quinque libros Euclidis, perſpectivam.*

iam communem, aliquem tractatum de proportionibus & aliquem de latitudinibus formarum, aliquem librum de Muſica, & aliquem in Arithmetica, ſex libros Ethicorum & Metaphiſicam, & Topicorum.

Has artes ſi non omnes, ſaltem pleraſque & faciliores a quatuor Magiſtris illis in antiqua Schola prælectas fuiſſe facile admitto, prout ipſa verba *Alberti* Ducis, *artes liberales etiam publice legi ſtatuimus* indicant, quibus tamen non novum ludum literarium induxiſſe, ſed ante inductum confirmaſſe dicendus eſt. Accedit quod Magiſtros illos, ſi regiſtro inſcripti fuerint, de Gremio Univerſitatis eſſe, ac iisdem privilegiis gaudere voluerit, denique cum in iis deligendis circumſpectionem quandam præſcripſerit: *Cæterum ne ſupra dictis quatuor Magiſtris ſtipendia Civitatis recipientibus per importunas forte preces, aut alias quomodolibet intrudi valeant futuris temporibus perſonæ inutiles, ſic diſponimus, ut quando unus eorum defecerit, Magiſter Civium ac Conſules Rectoris aut aliorum quatuor Seniorum de quatuor nationibus vel quatuor Procuratorum conſilio utantur de Magiſtro in locum vacantem ſubrogando.* Non putem ab Academiæ proceribus quærendam fuiſſe ſententiam: Num candidatus bonus ſit Ortographus, aut Arithmeticus, in quo ipſos licet doctiſſimos ſæpe defeciſſe pronum eſt ſuſpicari. Ipſa etiam artium facultas, eos veros Magiſtros fuiſſe fatetur Titulo XXI. Statutor: *de ordinariis lectionibus & diſputationibus Magiſtrorum.* §. 7. *Item nullus Magiſtrorum in artibus legat gratis, & ſine collecta niſi pauperibus -- liceat tamen Rectori Scholarum S. Stephani ſuis locatis, & Civium Servitoribus gratis legere dolo, & fraude ſemotis.*

Ad hanc Scholam antiquam referenda eſſe illa Cæſarei diplomatis verba: *volentes & commodo Studio provideri:* &c.

&c. Hinc pene manifeſtum eſt præcipue, ſi *Friderici* Imperatoris & *Alberti* Ducis literæ contendantur. Tria potiſſimum Cæſar ſtatuit. Primo Rectorem ſcholarum a ſe, vel ſucceſſorihus præficiendum. Secundo penes hunc poteſtatem eſſe alios Doctores, ſeu Magiſtros ſubſtituendi. Tertio hanc ſubſtitutionem conſenſu Senatus Urbani faciendam. Dux pariter eundem Rectorem confirmat ducali authoritate, additis Magiſtris tribus, confirmat illi dein conſvetum jus nominandi ſeu præſentandi Magiſtrum Scholarum ad S. Michaëlem & in hoſpitali. Tandem Magiſtrorum horum delectum pariter a Senatus arbitrio conſulta tamen Academia pendere juſſit. Ita ut quæ *Fridericus* breviter, adeoque obſcurius, *Albertus* dilucide, quia pluribus præceperit, atque adeo uterque de eodem Studio, ac Schola intelligendus ſit: in articulo dein illo, *ut alios Doctores in facultatibus ſubſtituat*, licet verbum *facultatibus* delendum cenſeat Lambecius, tolerandum tamen judico, eo quod *Rudolphus I.* in citatis literis, quibus Privilegia, jura ac conſuetudines veteres Urbis Viennenſis ratas habuit, eadem voce uſus ſit. Autographum harum literarum non reperi, habeo tamen ejus exemplar tranſcriptum ex Chronica Auſtrali. Codex eſt vetus membraneus aſſervatus apud P. P. Societatis Neoſtadii in Auſtria, quem ante quinque circiter annos commodaveram Erudititiſſimo Leibnizio eum petenti, ut quæ in Freheriana editione ejuſdem Chronici, aut corrigenda eſſent, aut ſupplenda, obſervaret, & in novæ, quam beneficio Struvii viri doctiſſimi habemus ſubſidium ſubmitteret.

Nihil tamen exinde quod vox illa toleretur, in favo-

vorem ſententiæ *Lazianæ* extundi poteſt. Jam enim ex allegatis conſtat, non poſſe per illam indicari juxta Phraſin noſtram plures facultates id eſt Theologicam, Juridicam, Medicam & Philoſophicam, ſed vel plures ſolum artes, quarum prælectiones pluribus committendæ erant, ita ut unus Phyſicos, Mathematicos alter &c. libros explicaret, vel plures Scholas, in quibus Rectores conſtituendi jus erat penes Rectorem primariæ ad D. Stephanum Scholæ, ut clare indicat Dux *Albertus III.* verbis ſupra citatis: *Præterea idem Rector Scholarum Sancti Stephani gaudeat nihilominus juribus & conſuetudinibus preſentandi aut conſtituendi Rectorem Scholarium ad S. Michaëlem & in Hoſpitali, nec non & quibuscunque aliis eo modo, quo alias id fieri conſuetum.* Porro in his quoque Scholis artes liberales traditas fuiſſe, id præterea argumento ſit, quod earum Rectores ad dignitates Academicas promoti ſint. Si hæc *Fridericiani* diplomatis explanatio admittatur, apte, ut mihi videtur, cohærent omnia, & lubens ad *Lazium* & *Ederum* accedam, ſi ante Ducis *Rudolphi IV.* tempora non aliam Viennæ quam hanc artium Scholam floruiſſe velint. Nam & Pragæ ante *Caroli IV.* tempora ſimilem literarium ludum apertum fuiſſe docet ſupra citatus *Haſelbachius.* Pariſiis quoque ut Lambecius loc. cit. pag. 261. refert, multo ante fundationem Academiæ inclinante Sæculo XII. factam, erat illuſtris artium liberalium Schola, ideoque etiam nunc facultas artium tantam ibi obtinet prærogativam, ut nec ex Theologica, nec juridica, nec Medica facultate, ſed ex ea ſola ſemper creetur Rector, qui in cæteras omnes facultates totamque Academiam habet imperium. Quod idem ſeu ut artium Scholæ antiquitatem

ho-

honoraret, ſeu ut Pariſianæ Univerſitatis ideam, ut in reliquis ita & in creando Rectore imitaretur, *Rudolphus* fundator conſtituerat ſequentibus: *Qui quatuor Procuratores inter cetera officii ſui debitum tangentia, toti Univerſitati Magiſtrorum, & Studentium in Theologia, in jure Canonico, & Civili, in ſeptem liberalibus artibus preficiendi, & eligendi Rectorem ſupremum, qui etiam ſit Magiſter liberalium artium, & nullius facultatis alterius, plenam & liberam habeant poteſtatem.* Hæc quidem conſtitutio diuturna non fuit: nam *Albertus* frater eum honorem Anno MCCCLXXXIV. cæteris quoque facultatibus, permittendum cenſuit: hac lege ſcripta: *Antedicti etiam quatuor Procuratores totius Univerſitatis Rectorem eligere habeant Scholarem qui ipſis ad hoc aptus videbitur, ſive artium, ſive alterius facultatis profeſſor, aut alias membrum Univerſitatis fuerit, & ydoneus ad hoc officium* vide Lambec. cit. pag. 105. item pag. 97. in ſtatutis: *ordinantes quod Rectoria non ſemper maneat in una facultate, ſed quod alternatim tranſeat ad ſuppoſita diverſarum facultatum.*

Si jam quæramus, quo tempore, quoque auctore hæc ipſa artium antiqua ad D. Stephanum Schola cœperit, reſpondent *Lazius*, ac *Ederus*, eum honorem *Fridericum II.* Cæſarem ſibi comparaſſe Anno MCCXXXVII. quibus etiam eruditus Lambecius ſubſcribit loc. cit. pag. 82. his verbis: *quamvis igitur ex hoc diplomate certo conſtet Urbem Vindobonam jam memorato anno aperiendæ Scholæ licentiam ab Imperatoria Majeſtate impetraſſe* &c. Ego vero ingenue fateor, licet vigili oculo ac curioſiſſime *Friderici* diploma relegerim, nullum fundationis, aut erectionis veſtigium in illa ejus parte reperi; obſervo ſiquidem literas illas a Cæſare ſcriptas eſſe, quando is proſcripto *Friderico* Auſtriæ Duce, ac pro-

provinciis per ſententiâ expulſo, Viennam advenit, eamque Urbem cæterarum Imperii Urbium, quas Liberas vocamus, numero deſcripſit, ac ſuo duntaxat imperio ſubeſſe voluit. Tunc enim familiari regibus arte uſus novus Princeps, antiqua ſubditis privilegia jura, & conſuetudines roboravit, & nova haud dubie addidit, ea præſertim, quæ civibus ea occaſione plerumque ad petendas gratias animoſis, placere cognoverat: Sed quæ ex illis antiqua fuerint, quæ nova tunc conceſſa quis diſtinguet? poſtquam veteres ejus & priorum temporum chartæ flammis abſumptæ ſunt. Ego ea tantum civibus beneficia recens adiecta conjicio, quibus reliquas Urbes ad libertatis teſtimonium ornare ſolebant Cæſares, in quorum numerum non venit artium Studium. Si quis vero omnia jura illa tunc primum conceſſa fuiſſe velit, neceſſe erit, ut pariter dicat: Tunc primum Viennæ datum eſſe juris dicundi Præſidem, ſeu Judicem, & permiſſum, ut de civium cauſis municipes ſententiam ferant: nam & horum *Fridericus* meminit, quod tamen ſuſtineri non poteſt. Cum utrumque caput ante conſtitutum ſit a *Leopoldo VI.* Duce An. MCXCVIII. in diplomate, quod ipſe *Lazius* ibidem C. 7. pag. 73. allegat. Ceterum imperialis diplomatis verba: *volentes & commodo Studio provideri* (forte commodo Studii id eſt Scholarum providere) *poteſtatem damus plenariam Magiſtro, qui Viennæ per nos, & Succeſſores noſtros ad Scholarum regimen adſumetur, ut alios Doctores ſubſtituat.* Hæc inquam verba ad erectionem novam, ſeu fundationem indicandam apta non ſunt, & ſatis convenienter explicantur dicendo: Quod *Fridericus* ſibi reſervaverit poteſtatem præficiendi Scholarum Rectores,

quæ

quæ antea penes Auſtriæ Duces fuerat, & quod Magiſter ille aut Rector eandem, quam olim facultatem alios ſubſtituendi deinceps habiturus ſit; Ad fundatoris enim nomen acquirendum præterea neceſſe fuiſſet, ut *Fridericus* locum, ædes, fundos, redditus, Stipendia, leges, ac privilegia deſignaret, & ſolita formula, noviter erectum, fundatum, ac dotatum a ſe fuiſſe id Gymnaſium indicaret, quæ omnia in Cæſareis literis deſiderantur. Unde in eam potius Sententiam inclino, quæ Scholam illam artium in Urbe collocatam fuiſſe docet ante *Friderici* adventum, & ab hoc ceu novo Principe non aliud, quam conſuetum confirmationis robur adjectum eſſe; eſt præterea prope ultra fidem, Urbem tunc jam ſatis cultam & a Leopoldo præfato Duce tantopere dilectam & ornatam tam diu hoc literario fonte caruiſſe, unde plurima in rempublicam commoda derivantur.

Nolim tamen per hoc *Lazio*, aut *Edero* concedere, quisquis antiquæ Scholæ auctor ſit, illum hac ipſa erectione initia, aut fundamenta jeciſſe celeberrimæ hujus Academiæ ejusque fundatorem jure dici poſſe, pariter enim inferam: *Henricum* Ducem Auſtriæ Divi *Leopoldi* filium prima initia dediſſe collegiatæ Eccleſiæ, Præpoſituræ, ac Epiſcopali ſedi Viennenſi, quod nemo approbaverit, cum tamen hoc congruentius dici videatur, quod hæc collegii, Præpoſiti, ac Epiſcopi dignitas in eadem Eccleſia erecta ſit, remoto in perpetuum Plebano, ejusque poteſtate univerſa in præpoſitum & Epiſcopum translata. Academia vero poſterius inſtituta, nec idem domicilium nacta ſit, nec vetus Schola ſublata, ſed confirmata potius fuerit, tam a *Rudolpho*, quam *Alberto*, ex his fuſius ex-

 pla-

planatis conſtare puto. *Fridericum* ſecundum Cæſarem immerito Univerſitatis Viennenſis Fundatorem nominari a *Lazio* & *Edero*. Optaſſem ut uterque vir clariſſimus in Annalibus Univerſitatis non ſolum Rectorum nomina inſpexiſſet, ſed id quoque Studium adjeciſſet, ut ſciret quæ ſub quolibet eorum acta ſint, & mox errore comperto obſervaſſet, *Rudolpho* non in chartis ſolum Pontificum, & Ducum Auſtriacorum, ſed in ipſis quoque Rectorum commentariis primi Academiæ fundatoris titulum adſcribi.

Lib. I. Act. Univerſ. cod. MS. Autograph. fol. 13. ad Annum MCCCLXXXVIII. hæc habentur.

Item eodem anno in die S. Thomæ Apoſtoli fuit congregatio Univerſitatis ſuper articulis infra Scriptis &c. quartus Articulus, an expediat, quod Univerſitas annuatim peraget anniverſarium primi fundatoris Univerſitatis hujus alme ſcilicet Ducis Rudolphi & ſuorum progenitorum, & ſi ſic quo tempore anni, in qua Eccleſia. Monendum hic lectorem cenſui. In præfato codice a prima manu ſcriptum eſſe *primi fundatoris*, ſed a longe poſteriori manu ultimas literas immutatas eſſe & nunc legi; *primorum fundatorum*, ita tamen mutatio hæc facta eſt, ut priora verba ſeu literæ primæ commode diſtinguantur.

Lib. V. Actor. Univerſ. fol. 112. ad annum MCCCCLXXXXV.

Dein vigeſima ſeptima Januarii -- fuit congregata Univerſitas ad deliberandum in articulo ſubſcripto --- fol. 113. Rector concluſit, quod privilegia Univerſitatis tam Rudolphi primevi fundatoris, quam Alberti & aliorum Ducum Auſtriæ conſcribantur in unum aut plures ſexternos.

No-

Notandum privilegia Academica omnia vi decreti hujus tranſcripta fuiſſe in librum unum ac Maximiliano Regi oblatum, qui etiamnum in tabulario Cæſareo aſſervatur.

Ibidem fol. 113. *Rector concluſit, quod Univerſitas informet Majeſtatem Regiam Regentes, Cives & alios de privilegiis, & immunitate Univerſitatis & præſertim Ducis Rudolphi primevi fundatoris, in cujus privilegio Univerſitati per eundem conceſſo, & gratioſius dato de anno milleſimo trecenteſimo ſexageſimo quinto ita invenitur. Omnia quoque, quæ pro Magiſtrorum, Studentium, vel Scholarum dicti Studii ac aliarum perſonarum, de Univerſitate exiſtentium victu, veſtitu* &c. Fundatoris igitur decus, quod veritas *Rudolpho* tribuit, error non auferat.

NOTÆ

Quas Lambecius ipſe ad præcedentium quædam Diplomata, Bullas, Statuta Univerſitatis, atque ad proprium ſuum Commentarium fecit, deſumpta ex ejuſdem commentariorum lib. 2do. paucis aliunde adjectis.

Talia.

Pag. 3. Linea 8.

Talia ſeu potius *Tallia* latino - Barbare vocatur genus aliquod exactionis populo impoſitum, uti Italice *Taglia*, & Gallice *Taille*: Hinc *Talliare* pro: *exactione gravare* ſeu *multare*. *Talia* autem ſive *Talia* corrupte dicitur pro *Talea*: quæ vox apud Catonem, Varronem, Plinium proprie quidem ſignificat *ſurculum a planta aliqua reciſum*; metaphorice autem ſumitur pro *tributo*, quod a bonis ſubditorum quaſi reciditur. A *Talea* porro fit *Taleare*, pro quo Itali & Galli depravate dicunt *Tagliare* & *Tailler*, hoc eſt; *incidere* vel *recidere*. Lambecius.

Ad hæc Catholici Principes, &c.

Pag. 3. Linea 15.

Hunc locum inſignem contra Judæos dicit Lambecius; quia de exceptione eorum ab officiorum præfecturis agit, ne nimirum ſub prætextu præfecturæ opprimant Chriſtianos.

Ad Aliquod ſervitium pro ultra progredi probibere.

Pag. 3. Linea 13.

Adm. R. P. Steyrer, qui in ſupra memorato commentario fol. 438. 437. idem diploma Friderici II. Imp. recitat, exiſtimat in Autographo ita poſitum fuiſſe: *ad aliquod ſervitium cogere, quo ultra progredi juberentur.*

Ut

Ut alios Doctores in facultatibus ſubſtituat, &c.

Pag. 4. Linea 5.

Hunc locum obſcurum, ambiguum, & ſine dubio mendoſum appellat Lambecius, legendum enim putat ſimpliciter: *ut alios Doctores ſubſtituat*, deleto illo falſo gloſſemate: *in facultatibus.*

In noſtra & Imperii donatione &c.

Pag. 4. Linea 11.

Juxta Lambecium hic locus itidem eſt mendoſus, nam contendit, pro *donatione* certo legi debere *ditione*: ubi alibi in eodem diplomate legitur: *dictam civitatem & cives in noſtram & Imperii perpetuo recipimus ditionem*; cætera autem hujus loci verba, ne vel ſuperflua videantur, corrigenda & præcedentibus annectenda eſſe hoc modo: *ſtatuimus, ut omnes incolæ & advenæ ibidem inhabitare volentes in noſtra & Imperii ditione tutam & liberam ab omni ſervili conditione vitam agant.*

Miſericorditer.

Pag. 4. Linea 21.

A. R. P. Steyrer putat debere dici: *immiſericorditer.*

Albertus Tertius.

Pag. 93. Linea 2.

Huic Duci, ait Lambecius in initio privilegiorum Univerſitatis de ad 1384. fuiſſe cognomen: *cum trica.*

Privilegiatas Scolas.

Pag. 93. Linea 23.

Lambecius ad hunc locum notat: ideo *Scolas* dici plurali numero, quia Studium Generale quatuor primariis Scholis conſtat pro numero totidem facultatum.

In Oppido ſeu Villa noſtra Wiennenſi.

Pag. 93. Linea 24.

Quo ſenſu nomen *Villæ* ſit accipiendum, vide commentarium Lambecii ad Privilegia Unitatis ſupra.

Ad inſtar Pariſienſis Studii.

Pag. 95. Linea 9.

Academia Pariſienſis in quatuor diviſa eſt Nationes, quarum prima eſt *Francica* proprie dicta. Secunda *Picardica*, Tertia *Normannica*, Quarta *Germanica*. Plura vide hac de re apud Petrum Bonfons antiquitatum Pariſienſium capite decimo tertio, & apud Paulum Merulam Coſmographiæ parte ſecunda, lib. 3. Cap. 21. Lamb.

Mutuo.

Pag. 99. Linea 2.

Vulgo: Darleihen. Lambecius.

Membro conſimili, quo privavit Magiſtrum vel Studentem hujusmodi eſt truncandus.

Pag. 100. Linea 2.

Scilicet jure talionis ſecundum legem duodecim Tabularum, de qua vide Aul. Gell. Noct. Atticar. lib. 20. Cap. I. Lamb.

Rybaldus.

Pag. 100. Linea 17.

In antiquo vocabulario Latino-Germanico Auguſtæ Vindel. Typis Joann. Kelleri Anno 1478, impreſſo in fol. *Rybaldus* latine vertitur *Vir inutilis, vanis dictis & factis inſiſtens.* Germanica verſio non additur alia, quam *Ribald.* Itali dicunt *Ribaldo* & *Rubaldo*. Galli *Rabault*. Belgæ *Rabaut*. Hæc Lambecius.

In

In Dipl. Germ. Rudolph. IV. Supra Pag. 46. Linea 27. vocatur Ribaldus, *ain Pub.*

Jocalia.

Pag. 102. Linea 17.

Jocalia Latino-Barbare vocantur monilia, Gemmæ, vaſa, aliaque ejus generis vel materiæ vel formæ reſpectu, vel utroque pretioſa & luxui potiſſimum inſervientia, ac joco, hoc eſt: inani voluptati & oblectamento. Hinc enim alias etiam *Cleinodia*, quaſi Kleinod; quia exiguæ neceſſitatis & parvi uſus ſunt. Ex Latino-Barbaro *Jocale* trahit originem Gallicum ejusdem ſignificationis vocabulum *Joyau*: quemadmodum *Joye* ex Latina voce *Jocus*, uti porro ex *Jocale* Latino-Barbare fit *Jocalarius*, qui Gemmas, aliasque ejusmodi res pretioſas vendit. Ita Gallice ex *Joyau* fit *Joyallier*. Itali eodem ſenſu pro *Jocale* & *Jocalarius* corrupte dicunt *Gjoja*, *Gioiello*, *Gioiellero*. Ejusdem originis & ſignificationis ſunt vocabula Belgica Juweel Jubelier, quorum poſterius prava Germaniæ ſuperioris pronunciatio mutavit in Jubilierer. Lambec.

Circa Stratam illam &c.

Pag. 103. Linea 3.

Strata Subſtantive pro *via ſtrata*. Qua loquendi formula utitur Livius libro 8vo. Lambecius.

Amplius quoque in antiquis Scholis ad S. Stephanum.

Pag. 108. Linea 18.

Hæc videlicet eſt antiqua illa Schola ad S. Stephanum, cujus aperiendæ licentiam Imp. Fridericus II. Civitati Vindobonenſi conceſſit Anno 1237. Antiqua autem cognominatur reſpectu Academiæ ejuſdem Urbis, quippe quæ fundari cœpit Anno 1365. Ita Lambecius ad hunc locum, & fuſius in ſuo commentario ſupra Pag. 137.

Ma-

Magiſter civium ac Conſules.

Pag. 109. Linea 13.

Germanice vertendum eſt: Burgermaiſter und Rath. *Conſulatus* enim apud mediæ ætatis ſcriptores latinos ſignificat *Senatum*, ut pluribus jam pridem monui libro ſecundo Hiſtoriæ meæ Hamburg. a Pag. 9. uſque 16. Lambecius.

Atque Regiſtro Studii aſcribendus.

Pag. 109. Linea 30.

Regiſtrum Studii hic ſignificat codicem ſive librum, in quem referuntur nomina omnium Academica fruentium libertate. Appellatur is alias *Matricula*, quæ vox etiam pro quolibet nominum Indice uſurpatur. Sic apud mediæ ætatis Scriptores legitur *Matricula Militum*, *Matricula pauperum*, *Matricula Baptizatorum*, *Matricula fidelium* hoc eſt eorum, qui ſacra Synaxi haberentur digni; unde delebantur, quibus impoſita eſſet pœnitentia publica. Hinc etiam vocantur *Matricularii*, qui *Matriculæ* inſcripti ſunt. Lambecius.

Prout & Pariſius obſervatur.

Pag. 110. Linea 17.

Tanta eſt Pariſinæ Academiæ dignitas, ut repreſentet Regis Galliæ filiam natu maximam, Ideoque nulli, niſi ſolis Pontificibus, Imperatoribusque Romanis ac Regibus Urbem Pariſinam intrantibus extra portam Urbis procedit obviam, & tam in nuptiis quam funeribus Regum Galliæ peculiarem ſeſſionis & inceſſus ſui locum obtinet. In actibus autem academicis non ſolum Pares Franciæ & quorumcunque Principum legatos honoris cauſa præcedit, verum etiam Nuncios ſummi Pontificis & Cardinales, uti teſtatur Petrus Bonfons antiquitatum Pariſienſium Cap. 13. Lambec.

Pro

Pro Nobis, ac Illuſtri Principe Domino Alberto Duce Auſtria Nato noſtro Kariſſimo.

Pag. 114. Linea 28.

Is eſt Albertus quartus ejus nominis Auſtriæ Dux & Pater Imp. Alberti: Lambec.

Nos quoque Leupoldus &c.

Pag. 115. Linea 1.

Is eſt Leupoldus tertius ejus nominis Dux Auſtriæ cognomine *Probus* qui anno 1386. apud Sempach in prælio contra Helvetios occubuit. De vera interpretatione cognominis *Probi* ut hiç uſurpatur, vide ſupra Pag. 144. De vera autem Etymologia ſive originatione nominis *Leopoldi*, pro quo in antiquis Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ monumentis ante trecentos, vel quadringentos, vel quingentos vel ſexcentos annos ſcriptis, *Luitpoldus*, *Lutpoldus*, *Liupoldus*, *Liupaldus*, & *Leupoldus* legitur. Lambec.

Leupoldus Fraterque Uterinus ſereniſſimi Principis Domini Alberti.

Pag. 115. Linea 3.

Lambecius ait: quod Frater Uterinus poſitus ſit pro fratre Germano.

Et nos Pilgrinus.

Pag. 115. Linea 14.

Is eſt Pilgrinus ſeu potius *Peregrinus* cognomine de *Puerhaim*, qui in Archi-Epiſcopum Salzburgenſem electus eſt Anno 1366. & Anno 1396. obiit. In Wigulei Hundii Metropoli Salzburgenſi Pag. 24. pro Anno 1365. perperam legitur Anno 1366. Lambec.

Et Johannes eadem gratia Epiſc. Patavienſis.

Pag. 115. Linea 16.

Is eſt Joannes cognomine de *Scherffenberg*, ſeu ut vulgo corrupte pronunciatur *Schaftenberg*, qui creatus eſt Epiſcopus Patavienſis Anno 1381. & 1387. obiit. Wiguleus Hundius in Metropoli Salzburgenſi Pag. 144. ubi de hoc Epiſcopo Joanne agitur, falſo tradit, celeberrimam Academiam Viennenſem, cujus Privilegia a jam memorato Patavienſi Epiſcopo Joanne una cum Pilgrino ſeu potius Peregrino Archi-Epiſcopo Salisburgenſi confirmata ſunt, erectam eſſe Anno 1362. ab Auſtriæ Ducibus Alberto *Contracto* ac Rudolpho *Ingenioſo*. Triplex enim hic committitur error: Primo videlicet, dum Auſtrie Dux Albertus II. cognomine *Contractus* perperam confunditur cum filio ſuo Duce Alberto III. cognomine *cum trica*. Secundo, dum prima fundationis Academiæ origo, quæ revera in Annum 1365. incidit, perperam refertur ad Annum 1362. Tertio: dum origo fundationis Academiæ Sub Duce Rudolpho IV. perperam confunditur cum inchoatæ fundationis conſummatione ſub Duce Alberto III. cognomine *cum trica*; quippe quo procurante cæteris facultatibus Anno 1384. acceſſit etiam Theologica. Lambec.

De Eberſtorff.

Pag. 116. Lin. 2.

Prænomen deeſt, ſed ex appenſo Sigillo in Autographo conſtat eidem fuiſſe nomen *Joannes*.

N. de Schaubenſtain.

Pag. 116. Linea 4.

Prænomen quoque deeſt, ſed notandum venit in contextu Autographi legi quemdam *de Schaubenſtain*, in ſubſcriptione verò ad Sigilla pendentia, ejus loco quendam de *Kreuzbach*.

Con-

Conradus de Pöttendorff.

Pag. 116. Linea 6.

Ita clare legitur in Autographo, non autem *Pantendorff*, ut conſentit Lambecius, qui hæc Privilegia non ex genuino originali ſed ex manuſcripto tantum codice, quod ipſe fatetur, deſumpſit. Cæterum de Familia Baronum Auſtriacorum *de Pottendorf* ita narrare pergit præmemoratus Lamb. quod ea jam prorſus defecerit, & ſe provocat ad Joannis Cuſpiniani Auſtriam Pag. 632. ubi agitur de interitu Ducis Auſtriæ Friderici II. cognomine *Belliceſi*, qui a Barone quodam de *Pettendorff* frœno ſeu capiſtro equi ſui ſtrangulatus eſſe creditur.

Magiſter Hubarum &c.

Pag. 116. Linea 19.

Huba & Hoba Latino-Barbare dicitur pro Villa ſive prædio; Germanice ein Hoff oder Mayrhoff; Interdum etiam ſignificat *Huba* certam aliquam agri poſitionem; quæ dialecto Saxoniæ inferioris vocutur ein gute Landes, Vide Henrici Spelmanni & Gerardi Joannis Voſſy Gloſſaria Latino-Barbara. Lamb.

Profitemur præſentibus prælibato Studio per ſereniſſimum Principem Dominum noſtrum naturalem Dominum Albertum Ducem Auſtriæ ſupradictum tam egregie erecto &c.

Pag. 116. Linea 11.

Notabile eſt, erectionem Academiæ Vindobonenſis hic attribui Duci Auſtriæ Alberto III. cognomine *cum trica*, ſine ulla mentione Fratris ipſius natu majoris Ducis Rudolphi IV. nempe quoniam ſub hoc inchoata quidem eſt Fundatio ejus, ſed ſub illo conſummata. Lambec.

Magiſter Civium, Judex, Conſules, Jurati, totaque communitas.

Pag. 116. Linea 24.

Germanice: Burgermaiſter, Stattrichter, Rath und Gemeine. Lambecius.

Igitur Nos Cholmannus.

Pag. 120. Linea 1.

In Ederiane Magnificorum Rectorum Catalogo vocatur *M. Colomannus Kolb.* Lambec.

Per eundem nuper magnificè exaltatam &c.

Pag. 122. Linea 10.

Nempe Anno 1384 quo permiſſu ſummi Pontificis Urbani VI cæteris Academiæ Facult. primum acceſſit Theologica. Lamb.

More Militum.

Pag. 123. Linea 9.

Per Milites hic intelliguntur Viri dignitate ordinis equeſtris præditi, qua de re vide plura in annotationibus marginalibus ad Hiſtoriæ Hamburg. librum ſecundum. Lambec.

Dimicaturæ aut quinternæ.

Pag. 123. Linea 14.

Quinterna eſt inſtrumentum muſicum, quinque ordinibus chordarum conſtans, quod ab Italis corrupte dicitur *una Chitarra.* Hinc verbum Latino-Barbarum : *quinternizare.* Labec.

Quod Scholas Brigoſi &c.

Pag. 124. Linea 1.

Brigoſus pro *litigioſus* a vocabulo Latino-Barbaro. *Briga*, quod ſignificat *litem*; & apud Albertum Argentinenſem, aliosque ætatis mediæ ſcriptores latinos paſſim occurrit. Lamb.

Diſculi &c.

Pag. 124. Linea 2.

An forte legendum *Dyſcoli*, hoc eſt *moroſi*, *moleſti* die leichtlich und gern Händl anfangen? hoc enim ſignificat Græcum δύσκολος. Lambec.

Supervenientes novos, quos Beanos vocant.

Pag. 124. Linea 22.

Huc pertinet Paragraphus *Nova* conſtitutionis Juſtinianeæ de Studio juris ad Anteceſſores, qua ſumma cum interminatione edicitur, ut nemo audeat indignos, & peſſimos, imo magis ſerviles, & quorum effectus injuria eſt, ludos exercere in ſocios ſuos, & maxime in eos, qui rudes ad recitationem legum perveniunt. Talis Ludus eſt *Pennaliſmus* Academiarum germanicarum Lutheranarum. *Beani* definitio latitat in ipſa nomiminis ſui Acroſtichide. *Beanus* eſt animal neſciens vitam ſtudioſorum. Nonnulli derivant vocem *Beanus* a Gallico vocabulo *Bejaune* quaſi *Bec-jaune* Germanice Gelbſchnabel vel Roth-ſchnabel pro avicula, quæ adhuc in nido hæret & nusquam evolavit. Sed forſan *Beanus* dicitur a voce *be*, hoc eſt a balatu ovino vel vitulino, quia novelli Studioſi haud immerito comparantur tenellis ovibus vel petulantibus vitulis. Lamb.

Quod Rectoria non ſemper maneat.

Pag. 128. Linea 7.

Rectoria pro *Rectoratu* ſive regimine Lambecius.

Bedelli.

Pag. 128. Linea 26.

Pedellus non autem *Bedellus* vel *Bidellus* ſcribendum eſt. Ita enim dicitur quaſi *Pedarius* ſive *Pedaneus*, quia Rectori Academiæ tanquam Apparitor Ipſius & Viator eſt a Pedibus. Alii derivant nomen a *pedo* ſive *baculo paſtorali*, cujus loco Pedellus Academiæ Rectori ſceptrum præfert. Lamb.

Niſi minutæ earum ſignatæ fuerint &c.

Pag. 129. Linea 16.

Minutæ ſignificant hic Schedas primas & imperfectas, unde quid poſtea elegantius & accuratius exſcribitur. Lamb.

Urbem Vindobonam in ſuam & Imperii recipit ditionem.

Pag. 137. Linea 7.

Hac Civitatis Imperialis dignitate vix integros tres Annos Vindobona tunc gaviſa eſt. Anno enim 1240. graviſſima obſidione eam cinxit proſcriptus Auſtriæ Dux Fridericus, coegitque ad deditionem, ac cum reliqua tota Auſtria victorioſe recuperavit, uſus ad hoc precipue auxilio Regis Bohemiæ Wenceslai, cui Auſtriam trans-danubianam præmii loco promiſerat. Lambec.

Sed & Georgio Edero, qui cum Anno 1559. Academ. Vindobon. Rector eſſet, Catalogum Rectorum, aliorumque Illuſtrium Ejuſdem Academiæ virorum Typis Raphaelis Hofhalteri in 4to. &c.

Pag. 138. Linea 5.

Idem Catalogus ſecundo impreſſus eſt Wiennæ in 4to. Typis Mathæi Rictij Anno 1645. cum auctario Rectorum, aliorum ejusdem Academiæ illuſtrium virorum ab Anno 1559. uſque ad Annum 1644. incluſive. Lambec.

Quo humaniores tantum litteræ & Diſciplinæ Philoſophicæ &c.

Pag. 138. Linea 22.

Tale olim fuit Principium Academiæ Pariſinæ: ideoque Facultas Artium etiam nunc tantam ibi obtinet prærogativam, ut nec ex Theologica nec Juridica, nec Medica Facultate, ſed ex ea ſola ſemper creetur Rector, qui in cæteras omnes Facultates totamque Academiam habet Imperium. Lambec.

Rectius legitur: Per nos & ſucceſſores noſtros.

Pag. 139. Linea 18.

Forſan etiam conjunctin ſcriptum fuit: *Per Principes ſucceſſores noſtros*, uti in eodem diplomate: *Per Imperatores ſucceſſores noſtros.* Lambec.

Ca-

Cujus ipſe (Lazius) Rector fuit & Superintendens Cæſareus.
Pag. 139. Linea 22.

Vide Epitaphium ejus, quod libro 1mo. horum Commentariorum pag. 38. inſerui. Lambec.

Rudolphum, qui vulgo quartus cognominatur.
Pag. 139. Linea 24.

Revera enim quintus ejus nominis eſt, ſi ratio habeatur Filii Imp. Rudolphi I. nomine Rudolphi, qui duodecim annorum puer obiit. Lambec.

Commodiori loco in hiſce Commentariis proferetur in lucem.
Pag. 142. Linea 12.

Promittit Lambecius de origine Cathedralis Eccleſiæ omnium Sanctorum, alias ad S. Stephanum Ejusque incremento, & Magnificentia commodiori loco in ſuis Commentariis ſe acturum, atque errores Lazii ſe refutaturum; ſed, quia hi commentarii ſunt extra ſcopum, de induſtria ſunt omiſſi.

Probum virum ac ſolennem Miniſterialem Dominum de Summerawe.
Pag. 145. Linea 27.

Hic eſt Conradus de Summerau, qui ab ipſo Imperatore Alberto I. tanquam adhuc Duce tantum Auſtriæ & Styriæ memoratur inter teſtes confirmationis ſuæ Privilegiorum Ducatus Styriæ promulgatæ Friſaci Anno 1292. Extat hæc confirmatio in der Land-Hand-Veſte des Herzogthumbs Steyr impreſſa Auguſtæ Vindelicorum typis Michaëlis Mangeri Anno 1583. in folio. In duobus Chronicis Auſtralibus, quæ Marquardus Freherus Tom. primo ſcriptorum rerum Germanicarum non ſolum imperfecte, ſed & vitioſiſſime edidit pag. 326. & 339. pro de *Sumerau* ſive *Sumerawe* perperam legitur *de Suinawe*, & *Swainawe*. Lambec.

ERRATA.

Pag. 7. linea 15. Khünhelt *lege* Khünheit.
Pag. 7. linea 18. Feündten *lege* Freundten.
Pag. 7. linea 19. da ſoll *lege* das ſoll.
Pag. 7. linea 27. freuentlichen *lege* Freuelichen.
Pag. 9. linea 2. *in contextu*. Eccleſiæ *lege* Eccleſie.
Pag. 9. linea 17. *ibidem* Auſtriæ *lege* Auſtrie.
Pag. 13. linea 1. ſcholaſticos *lege* ſcolaſticos.
Pag. 15. linea 11. eductum *lege* deductum.
Pag. 16. linea 23. credere *lege* cedere.
Pag. 16. linea 28. quo tales *lege* quod tales.
Pag. 18. linea 4. percipimus *lege* precipimus.
~~Pag. 19. linea 21. *poſt* coram *adde* ſeculari Judice, ſed duntaxat coram.~~
Pag. 24 linea 7. percipui *lege* precipui.
Pag. 32. linea 7. Ulrich *lege* Ulricus.
Pag. 32. linea 22. Chriſtianus *lege* Criſtanus.
Pag. 38. linea 12. Alſo *lege* Alſs.
Pag. 41. linea 10. darnab *lege* darnach.
Pag. 48. linea 2. gewirwirſchetem *lege* gewirſchetem.
Pag. 57. linea 23. Chrenſpach *lege* Chreuſpach.
Pag. 63. linea *ult*. perceperitis *lege* perciperetis
Pag. 69. linea 2. gantzew *lege* gantzen.
Pag. 71. linea 16. utra *lege* ultra.
Pag. 83. linea 19. licitam *lege* licita.
Pag. 88. linea 2. duntxat *lege* duntaxat.
Pag. 93. linea 3. *incontextu* ſclavoniæ *lege* ſclavonice.
Pag. 95. linea 15. Apuilegienſi *lege* Aquilegienſi.
Pag. 99. linea 2. ſteura mutuo *interpone* (;)
Pag. 103. linea 2. proximi oribus *lege* proximioribus.
Pag. 105. linea 13. a quo *lege* a quovis.
Pag. 106. linea 2. *poſt* Magiſtrorum *adde* Doctorum.
Pag. 110. linea 17. Pariſius & *non* Pariſiis *legi debet*.
Rationem dabo ex notis Lamb. in parte 2da. Chron. hujus dipl.

B b Pag.

Pag. 110. linea 26. liberarii *lege* librarii.
Pag. 113. linea 12. om-nia *lege* omnia.
Pag. 115. linea 17. oroinarius *lege* ordinarius.
Pag. 120. linea 5. *in titulo* illius *lege* illico.
Pag. 120. linea 6. *ibidem* promiſſo *lege* præmiſſo.
Pag. 123. linea 2. *in contextu.* Or dinamus *lege* ordinamus.
Pag. 124. linea 2 diſcipuli *lege* diſculi.
Pag. 125. linea 8. quam *lege* qua.
Pag. 137. linea *ult.* exh oe *lege* ex hoc.
Pag. 138. linea 8. primis *lege* primus.
Pag. 139. linea 27. in editis *lege* ineditis.
Pag. 142. linea 3. in quidem *lege* in quibus.
Pag. 144. linea 1. *in contextu* Gregorius *lege* Georgius.
Pag. 147. linea 3. *in Tit.* e Societatis *lege* e Societate.
Pag. 147. linea 4. *ibid.* 722. pone 1722.
Pag. 157. linea 3. potentiſſimis *lege* patentiſſimis.
Pag. 157. linea 25. vicina *lege* vicinia.
Pag. 157. linea 27. Pariſiorum *lege* Parhiſiorum.
Pag. 162. linea 6. Hoſtia *lege* Haſſia.
Pag. 168. linea 26. de bona *lege* de bono.
Pag. 185. linea 16. *ad nomen* Leupoldus, *poſt* legitur *adde* commodiori loco ſe acturum dicit.
Pag. 185. linea 24. de Puethaim *lege* de Puechaim.
Pag. 187. linea 3. conſentit *lege* contendit.
Pag. 187. linea 16. agri poſitionem *lege* agri portionem.
Pag. 187. linea 17. vocutur *lege* vocatur.
Pag. 187. linea 18. gute Landes *lege* Huve Landes.
Pag. 189. linea 3. noua *lege* nona.
Pag. 182. linea 4. Unitatis ſupra *adde* pag. 141.
Pag. 49. linea 30. *poſt* Herren,
Pag. 123. *Titulus I. conjungendus fuiſſet cum proœmio finito pag.* 122.
Pag. 124. linea 2. Ebrioſi,
Pag. 123. linea 9. *poſt* more. deleatur.
Pag. 156. linea 14. Ad diploma Frid. *usque* inſertum *omittatur.*

This book should be returned to the Library on or before the last date stamped below.

A fine of five cents a day is incurred by retaining it beyond the specified time.

Please return promptly.

7/17/80

Educ 4895.11.15
A Becsi egyetem Magyar nemzetenek
Widener Library 006834039
3 2044 079 776 506